

## BALBI (Giolamo)

## CARMINA (4941 vers)

Le texte donné ici a pour base l'édition de Joseph Friedrich Retzer (1791), numérisée par *Poeti d'Italia in lingua Latina*. Lecture et scansion révèlent de nombreuses anomalies ; on ne sait à qui les attribuer : au poète lui-même, à l'éditeur, à l'O.C.R ? Sans doute aux trois. Nous avons donc dû faire un certain nombre de corrections et de restitutions. Nous avons également jugé bon d'aligner les graphies sur celles utilisées par les grands éditeurs de textes latins de notre temps.

Hieronimus Balbus Bohuslao de Hasistein,  
viro clarissimo atque eruditissimo.  
Elegia hodoeporicon. Bohemiae et procerum eius laudes.

C\_1 v.1 Miraris, Latia genitum tellure Boreo  
2 axe pati Scythici frigora lenta poli.  
3 Altrix Parthenope vatium Romanaque Tempe,  
4 et Lucrina meam flagitat unda chelyn.  
5 Meque Phalanthei per amoena vireta Tarenti  
6 musa vocat blandis emodulanda sonis.  
7 Arva tamen colimus Geticis vestita pruinis,  
8 fundimus et lepidum per loca surda melos.  
9 Divinos ornent praeconia tanta poetas,  
10 quos rapit aethereo missus ab axe furor.  
11 Ista decent plenis sulcantes aequora velis,  
12 in tenui fragilis sat mea cymba lacu.  
13 Non tamen externo posui vestigia primus  
14 orbe, nec insuetas dicor inisse vias.  
15 Hoc iter assidue missis calcatur habenis,  
16 et patet haec multis orbita trita rotis.  
17 Voce, lyraque feros homines Lesbous Arion  
18 flexit et indomiti caerula monstra maris.  
19 Ipse inter lituos, et Punica signa canebat  
20 Ennius annales, Scipio magne, tuos.  
21 Liquit Aristippus studii florentis Athenas,  
22 tunc hausit lepidos Trinacris hora sales.  
23 Nec tenuere suum Milesia culta Thaletem,  
24 Eudoxus Cnidia rarus in urbe fuit.  
25 Democritum risu celebrem, divumque Platona  
26 abdidit arcanis Memphis avara focis.  
27 Quique animas reduces alios transmittit in artus  
28 Pythagoras, Siculi palluit aera bovis.  
29 Legifer ipse Solon patriis excessit ab arvis ;  
30 Croese tibi hic hospes, te quoque major erit.  
31 Orbe vagus toto solii mirator Iarchae,  
32 et phiala maduit, Tantale juste, tua.  
33 Cur tamen errores veterum censemur avorum,  
34 exemplo vinci cum propiore queas.  
35 Te longas subisse vias testatur Etruscus  
36 Tybris, et electro fertilis Eridanus,  
37 Senaque, Crustumiumque rapax, veloxque Metaurus  
38 Appenninigenis flumina lapsa jugis.  
39 Tu petis inferni, superi petis aequoris undas,  
40 tu petis Ionio litora pulsa salo.  
41 Illyricosque sinus, numerosaque stagna Timavi,

42           atque Antenorea moenia structa manu.  
 43 Vidisti celebrem Bacchaeo munere Cretam,  
 44           et cum ventosa Cypria regna Rhodo.  
 45 Et latos Syriae tractus, Nilumque tepentem,  
 46           qui septem geminis aequora pulsat aquis.  
 47 Palmiferosque Arabas, Solymisque micantia templa,  
 48           templa Palaestinae quae posuere manus.  
 49 Legisti Aegaeis dispersas Cycladas undis,  
 50           Ortygiam Naxon, marmoreamque Paron,  
 51 et post Carpathias hiemes, Andronque Samumque  
 52           vitiferam Lesbon, vitiferamque Chion.  
 53 Te quoque cum rauco rupes Lilybaea Peloro  
 54 novit, et incensas quae vomit Aetna faces.  
 55 Et Lybiae demum, vicinaque Syrtibus arva,  
 56           quaeque sub aeternis solibus aret humus.  
 57 Nosse maris terraeque vias, lustrare tot urbes,  
 58           tot populos, altae mentis habetur opus.  
 59 Ah quater infelix, mundi qui lata perosus  
 60           regna, potest uni deditus esse casae.  
 61 Est hominum sedes, quidquid duodena per astra  
 62           temperat obliquae linea curva rotae.  
 63 Non una semper volucris locat arbore nidum,  
 64           non una semper valle moratur aper.  
 65 Nil adeo splendet, quod non sordescat habendo,  
 66           at contra raris gratia major inest.  
 67 Cur etenim uxori dulcis praefertur amica ?  
 68           Nempe, quod illa frequens, rarior ista subit.  
 69 Vidi ego longinquis in sedibus esse beatum,  
 70           qui prius in patria vilis inopsque fuit.  
 71 Crede mihi, veteris vera est sententia dicti :  
 72           in patria fieri nemo propheta potest.  
 73 Non de Socraticis manat sapientia rivis,  
 74           hanc populi, et mores vitaeque longa docet.  
 75 Ipse tamen (fateor) longis erroribus actus,  
 76           speravi ad patrios figere vota lares.  
 77 Ut vagor Europae spatii, nec saeva relinquunt  
 78           me maris, et durae mille pericla viae.  
 79 Ter quater expressit Bacchi manus uda liquorem,  
 80           ter quater occubuit falce resecta Ceres.  
 81 Certus eram, jam posse meos lustrare penates,  
 82           istaque volvebam, sed prohibente Deo.  
 83 Me domus excipiet, nostri quae conscia partus,  
 84           et lac et cunas libaque prima dedit.  
 85 Frater in amplexus ruet, et turbata capillos,  
 86           nuda pedem junget basia casta soror.  
 87 Tota domus festiva focus pia thura liquabit,  
 88           pro redituque cadet victima grata meo.  
 89 Inde petam breve rus, et glebas pauperis agri,  
 90           calcavi tenero quem puer ipse pede.  
 91 Huc venient juncti primaevo flore sodales,  
 92           queis mille amplexus, oscula mille dabo.  
 93 Inque vices experta loquar, capiarque relatis,  
 94           sic fugiet totus, ceu brevis hora, dies.  
 95 Non tamen interea roseis afflata labellis  
 96           ferre meus cesset Cretica vina puer.  
 97 Et modo cantet Hylas, cumulet modo Julia flores,

98 Julia serta dabit, plectra movebit Hylas.  
 99 Haec fore sperabam ; spes o vanissima, certi  
 100 cum nihil humanis rebus inesse queat.  
 101 Jamque ter ingressus Symaethia rura, Camenis  
 102 nota meis, linquo, Vesprimiosque lares.  
 103 Et tibi, Musarum quondam studiosa mearum  
 104 collacrimans dixi : pulchra Vienna, vale.  
 105 Nec mora, praetereo Regalis moenia Budae,  
 106 de duce quae retinent nomina clara suo.  
 107 Transieram raris habitata mapalibus arva,  
 108 restabatque meis silva adeunda rotis.  
 109 Stat vetus, et densa nigrescit ab ilice, nomen  
 110 quae nimis ex vero silva cruoris habet.  
 111 Sanguineis rubet herba notis, rubet omne profana  
 112 caede nemus, spumat lapsus ubique cruor.  
 113 Hic numquam vaga Luna micat, nec lampade pura  
 114 Phoebus ab Eoo suscitatur orbe diem.  
 115 Nam piceae taxusque nocens, ac laeva cupressi  
 116 arbor, et extremis taeda dicata rogis  
 117 aetheris obducunt faciem, caelique serenum  
 118 nox ferrugineis inficit atra rotis.  
 119 Hic Bellona genas Erebeo tinctorum veneno  
 120 saevit, et anguiferis torva Megaera comis.  
 121 Hic etiam Manes, sacris operata nefandis,  
 122 evocat a Stygio lurida saga lacu.  
 123 Defunctas per inane putes ululare figuras,  
 124 quas agitant Dirae, tergeminusque canis.  
 125 Trunca jacent tumulis caesorum membra cruentis,  
 126 insatiabilibus dilanianda lupis.  
 127 Caede lavat vultur sua rostra, cadavere corvus  
 128 vescitur, obscenae dira minantur aves.  
 129 Dat gemitum bubo, nostraeque invisae Minervae  
 130 flebilis a laeva parte movetur avis.  
 131 Huc me stella nocens et vis incognita Fati  
 132 abstulit, humanum quae regit una genus.  
 133 Quisque suis agitur fatibus, stant ordine certo  
 134 sidera fatales volvere nata vices.  
 135 Ecce repente ruens stricto manus impia ferro  
 136 haesura in nostro corpore tela gerunt.  
 137 Et primo angustas occludunt undique fauces,  
 138 qua tenuis notum semita monstrat iter.  
 139 Mox arma expediunt, pharetra rapit ille sagittas,  
 140 huic levis in torto verbere funda sonat.  
 141 Hic jaculum, quatit ille sudas, hic fulminat ense ;  
 142 unius in jugulum tot coiere manus.  
 143 Obstupui, rabidis veluti deprensa molossis  
 144 cerva per innocuos currere docta greges.  
 145 Utque stupet, liquido dum volvit in aere gyros  
 146 accipitris curvo raptata columba pede.  
 147 Heu, quid agam ? Quae vis saevo me subtrahat hosti ?  
 148 Aude anime, audenti Dii meliora dabunt.  
 149 Ergo tot, et validis, et tensa tenentibus arma,  
 150 nudus, et imbellis obvisus unus eam ?  
 151 An fugiam ? Fuga nulla patet ; supplexne precabor ?  
 152 Frangitur heu numquam barbara turba prece.  
 153 Haec agito : mortis dira obversatur imago,

154           jamque erat ante oculos funeris ara mei ;  
155       cum subito conjecta leves defertur in auras,  
156           figitur inque meum missilis hasta latera.  
157       Altius ac penetrans stomacho delapsa sub ipsum  
158           pectus abit totis insita visceribus.  
159       Stridet atrox vulnus, venisque a fronte reclusis  
160           lutea spumantis sanguinis unda fluit.  
161       Excitior curru, lentisque involvor habenis,  
162           nam miser a trijugis vectus equabus eram.  
163       Semianimes cernas artus, collapsaque membra,  
164           oraeque vicina pallida facta nece.  
165       Lux abit et tenebris oculi densantur obortis,  
166           linguaeque singultu deficiente cadit.  
167       Quid mihi nunc animi candor, quid Numina prosunt ?  
168           Numina sincera tam bene culta fide.  
169       Quidve pie Phoebos tota servisse juventa ?  
170           Et pia Musarum dona tulisse choris ?  
171       En jaceo, vel praeda lupi, vel vulturis esca,  
172           indeploratum depositumque caput.  
173       Tum vero incumbunt spoliis, positoque timore  
174           sarcinulas volvunt diripiuntque meas.  
175       Spes lucri mala multa movet, spe divitis auri  
176           ausa fuit tantum turba cruenta nefas ;  
177       omne nefas aurum suadet ; jus vincitur auro ;  
178           haec scelerum radix, flagitiique caput.  
179       Haec Lernaea fames, patulo quae semper hiatus  
180           fertior damnis pullulat hydra suis.  
181       O utinam, quidquid toto nitet orbe metalli,  
182           hactenus ignota delituisse humo !  
183       Quisque sine insidiis securum duceret aevum ;  
184           non tuba, non hostis, non fera bella forent.  
185       Ergo meae spoliantur opes, rapit omnia praedo,  
186           latronumque onerat splendida gaza manus.  
187       Quodque labor peperit longus, brevis abstulit hora,  
188           et data virtuti praemia raptor habet.  
189       Ast ubi sacrilegae cesserunt cuncta rapinae,  
190           fert acies victrix ad sua lustra pedem.  
191       Scilicet haec acies rebus feliciter actis,  
192           clamet, Io, nostra fraude Poeta jacet.  
193       Figat et erectis insignia tanta tropaeis,  
194           deque cruentato vate triumphus eat.  
195       Quanta homines caligo rapit ! Quam multa precamur,  
196           quae modo parta nocent, exitiumque ferunt !  
197       En ego quam cupide, nulla non anxius hora,  
198           congressi optatas irrequietus opes ;  
199       ut nobis alimenta forent, cum cana senectus  
200           sparget olorinis tempora rara comis,  
201       hisque opibus fultus securus per otia possem  
202           molliter in studiis consenuisse meis.  
203       Proh dolor, hem vati misero tot tela, tot hostes,  
204           tot necis insidias, totque tulere dolos ?  
205       Forsitan et dirae lanient mea membra volucres,  
206           montanisve forem praeda cibusque lupis.  
207       Sed dum lenta cadunt raro suspiria motu,  
208           et brevis extremo spiritus ore natat,  
209       nescio, quis miserum placida cervice subivit,

210           sustulit inque humeros frigida membra pios.  
 211       Funeris in morem vicinae deferor urbi  
 212           curandus medica, si licuisset, ope.  
 213       Nulla tamen morbi requies, via nulla salutis,  
 214           inventa est nostris nulla medela malis.  
 215       Semivir et quamvis remeasset, et ipse Machaon,  
 216           optatam poterat tradere neuter opem.  
 217       Jam mihi supremam medicus signaverat horam,  
 218           numinis exposcens, immemor artis, opem.  
 219       Vox sequitur, Deus, ecce, Deus te sancte precamur,  
 220           nos adeas felix, nos pede dexter adi.  
 221       Vera loquor, mox missa salus, mox vulnera fovit  
 222           ambrosius succus, nectareusque liquor.  
 223       Lux animusque redit, redit in praecordia sanguis,  
 224           jam dolor in toto corpore nullus erat.  
 225       I nunc, et dubita divinos credere Vates,  
 226           auctoremque sacri carminis esse Jovem.  
 227       Cum subito tremuere lares, et Numen adesse  
 228           admonuit splendor, sidereumque jubar.  
 229       Non studio, non arte subit quaesita Poesis,  
 230           nil cum discipulo, docte Magister, agis :  
 231       est Deus, humanos agitatur qui numine sensus,  
 232           quodque canat Vates, Musa ministrat opus.  
 233       Illa facit, ne me quisquam despectet egenum,  
 234           sint mihi rapta licet, quae potuere rapi.  
 235       Illa meum comitatur iter, penitusque jacentem  
 236           non sinit obscuro delituisse loco.  
 237       Forsitan haec eadem Stygia me nuper ab unda  
 238           eripuit, cum jam mors tulit atra pedem.  
 239       Sive Venus (placidos cecini quia semper amores)  
 240           nostra Cytheriacis vulnera lavit aquis ;  
 241       seu fugientem animam lectis Epidaurius herbis  
 242           detinuit, tamquam Verbius ipse forem.  
 243       Forte suum fovit sacro medicamine Vatem  
 244           ipse salutiferae Cynthius auctor opis.  
 245       Convaluit corpus, subitis sed percita curis  
 246           aestuat, et nullo mens sedet aegra loco.  
 247       Quo ferar ? Afflictis quaenam primordia rebus  
 248           moliar ? In tantis quae via tuta malis ?  
 249       An patriam repetam carisque pudendus amicis  
 250           nil praeter lacrimas, illuviemque feram ?  
 251       An procul abscondam mea damna ? Miserrimus ille est,  
 252           in patria quisquis cogitur esse miser.  
 253       Scilicet ut speculis, mediaque in luce suorum  
 254           vivere felices sorte favente juvat ;  
 255       sic latebras quaerunt miseri, solacia luctus  
 256           invenit, occulte qui doluisse potest.  
 257       Infaustis lux ipsa nocet, quemcumque sinistra  
 258           sors agit, ignotus omnibus esse cupit.  
 259       Ergo ego, quem nuper tantis fortuna bearat  
 260           divitiis, inopes cogar inire vias.  
 261       Illum, crede mihi, paupertas durius urget,  
 262           qui prius inter opes deliciasque fuit.  
 263       Versor in ambiguo duplici pessumdatum aestu,  
 264           isthinc Scylla vorax, inde Charybdis erat.  
 265       Ut si forte ratem violentior obruat Euris,

266 et tumidis praeceps nauta feratur aquis,  
 267 ille anceps, qua parte natet, quo brachia tendat,  
 268 jactat in immenso naufraga membra salo :  
 269 sic animis diversus eo, latumque per aequor  
 270 naufragii tabulas dissipat unda mei.  
 271 Ecce Sselenberga Joannes stirpe creatus  
 272 affulsit lacerae Stella secunda rati.  
 273 Hoc duce sparsa meae collegi membra carinae,  
 274 hoc duce nec scopulos caecave saxa petam.  
 275 Ille dedit portus facilis et tuta precanti  
 276 litora, porrexit per freta saeva manum ;  
 277 dignatusque humeris nostras fulcire ruinas,  
 278 sustinet inflexae pondera quassa domus.  
 279 Meque licet variis jactet Dea caeca procellis,  
 280 cujus agit celerem ventus et unda rotam ;  
 281 non noster caret igne focus, nec copia cornu  
 282 frugifero parvos cessat adire lares ;  
 283 ille ministrat opes, illoque superstite numquam  
 284 fortunas dicam procubuisse meas.  
 285 Vive diu, Clariae spes indubitata cohortis,  
 286 gloria militiae, gloria rara togae ;  
 287 sis licet ad meriti culmen sublatus honoris,  
 288 pluraque de nutu stentque cadantque tuo.  
 289 Nestora te fidum fidum et testetur Achatem  
 290 rex Casimireae stella corusca domus.  
 291 Non tamen in fastum surgis, quoque altius exstas,  
 292 hoc minus es durus difficilisque minus.  
 293 Tu placida me fronte beas, tu pectoris aestum  
 294 tam miti amplexu colloquioque foves.  
 295 Tuque (quod est rarum) quamvis bona cetera desint,  
 296 virtuti pretium non minus esse putas.  
 297 Ut vultum fortuna gerit, sic mobile vulgus  
 298 de nobis sentit, iudiciumque refert.  
 299 Omnis enim virtus, si sors adversa sequatur,  
 300 abdita, pro vili sub pedibusque jacet.  
 301 Nam miseros, quoscumque videt, putat esse nocentes  
 302 plebs levis, et poenas, quas meruere, pati.  
 303 Te tamen obliquo fortuna volubilis orbe  
 304 praecipiti numquam fertque refertque rota.  
 305 Te nec ab instanti subducis turbine, fido  
 306 sed recipis portu, quos mala jactat hyems.  
 307 Ipse tuo clypeo, sacra velut aegide, tutus  
 308 duco per Aonios otia grata choros,  
 309 otia, quae docto soboles Julea Maroni,  
 310 quae dederas Flacco miles Etrusce tuo.  
 311 Nulla quidem venient tantis obliviae rebus,  
 312 nec pars ex animo defluet ulla meo ;  
 313 pigra soporiferae seu gustem flumina Lethes,  
 314 pocula Circea seu medicata manu.  
 315 Quidquid ero, tibi semper ero, tibi carmine grates  
 316 non cessaturo sedulus ore canam.  
 317 Ingenium quodcumque meum tibi serviat uni,  
 318 crescat et in titulos pagina nostra tuos.  
 319 Quaeque canam, Boreas simul admiretur et Auster,  
 320 testis et Occasus, testis et Ortus eat.  
 321 Quod si deficient nervi, pietate probabor,

322 et ferar accepti muneris esse memor.  
 323 Illius est munus, Claria quod tutus in umbra  
 324 carmina do vestris qualiacumque choris.  
 325 Ille sacra rursus praecinctum tempora lauro  
 326 misit ad assuetae consona fila lyrae.  
 327 Secta tripartito felicis moenia Praegae  
 328 ille mihi fausta quaerere jussit ave,  
 329 jussit idem, Graio jungor cui foedere, Sslechta ;  
 330 Sslechta regens nostrae pendula vela ratis.  
 331 Tu quoque ab Augusti referens cognomine nomen,  
 332 qui canis heroa grandia bella tuba.  
 333 Huc tamen ut veherer, quamvis me nulla vocaret  
 334 sors alia, in causa tu satis unus eras.  
 335 Terra colenda mihi, tantum cui ferre Poetam  
 336 fata dabant, ortu terra beata tuo.  
 337 Te propter Lybiae quaeram sitientis arenas,  
 338 antraque Marmarico pulverulenta solo,  
 339 meque alio ducet semota Britannia mundo,  
 340 et posita Eoo litore Taprobane.  
 341 O me felicem, sors o mihi prospera, tecum  
 342 si liceat totos consenuisse dies ;  
 343 meque legente fluant sermonis mella politi,  
 344 et sonet Hyblaeis aemula lingua favis.  
 345 Haec ego maluerim, quam quod Pactolus et Hermus  
 346 volvit, et auriferi nobilis unda Tagi.  
 347 Abs te, dent Superi, nullo ut divellar in aevo,  
 348 dulce mihi est, tecum vivere, dulce mori.  
 349 In te mixta fluunt probitas, et forma, genusque,  
 350 par decor, et virtus nobilitata tua est.  
 351 Corde tuo residet meliori culta metallo  
 352 justitia a nostris inviolata malis.  
 353 Quae nec blanditiis, nec lucro pervia, rectum  
 354 utilibus suadet praeposuisse bonis.  
 355 Haec exosa dolos, nullique obnoxia culpae  
 356 pectora fert pura candidiora nive.  
 357 Te vocat ad certos collecta modestia fines,  
 358 nec sinit emenso transiliisse modo.  
 359 Non Venus illecebras suadet, nec inertia luxum,  
 360 temperat esca famem, temperat unda sitim.  
 361 Nec levis ambitio, sordes fucata genarum  
 362 suadet, ut occulta fraude petatur honos.  
 363 Mens quoque robur habet, nil concessura periclis,  
 364 quam scelus in nullum spesve metusve rapit.  
 365 Immineat Sículus quamvis cervicibus ensis,  
 366 et grave Sisyphia sorte recurat onus.  
 367 Nec te livor edax, rebusque superbia laetis  
 368 foeda comes, praeceps exagitatve furor.  
 369 Quin etiam vigiles agitans Prudentia curas,  
 370 eventura tibi cernere posse dedit.  
 371 Haec facit, ut nullis mens sit fuscata tenebris,  
 372 nilque geras, quorum paenituisse velis.  
 373 Turpe viro falli, volucres qui pectore sensus  
 374 excutit, hunc numquam devius error agit.  
 375 Os tibi mite quidem, sed pectus mitius ore,  
 376 moribus effigies convenit ista tuis.  
 377 Scribitur in vultu tacitae sententia mentis ;

378 frons aperit, quidquid dissimulare cupis.  
 379 Quid memorem proavos ? Aliena luce coruscet,  
 380 qui nil splendoris, quod dare possit, habet ;  
 381 et tamen a proavis longo viret ordine ramus,  
 382 Claraque ab antiquo stemmata ducis avo.  
 383 Adde, quod Aonio tua proluis ora liquore,  
 384 largaque Cirrhaeas Musa ministrat aquas.  
 385 Tale facis carmen, Daphnaea quale sub umbra  
 386 temperat aurata pulcher Apollo lyra,  
 387 aspiratque tibi blandissima turba sororum,  
 388 seria sive velis, sive jocosa sequi.  
 389 Nec satis est, Latias pectus coluisse per artes,  
 390 fert quoque Cecropias Attica Pallas opes.  
 391 Quid, quod et astrorum casus metiris et ortum ?  
 392 Felix, in superas cui datur ire domos.  
 393 Teque juvat rerum causas pensare latentes,  
 394 atque homini quidquid fas didicisse fuit.  
 395 Cuncta tibi Superi pariter Bohslave dedissent,  
 396 si pius in patriam candidiorque fores.  
 397 Illa sibi plaudit, tantoque exsultat alumno,  
 398 teque audet priscis adnumerare viris.  
 399 Haec tu debueras animo, divine Poeta,  
 400 figere et aequata lance referre vices.  
 401 Nulla quidem lex justa magis, quam reddere gratas  
 402 his, bene qui de te promeruerunt, vices.  
 403 Ah ferus ille nimis, saevaque immanior ursa,  
 404 qui gerit in patrios impia bella lares.  
 405 Usque adeone juvat, cunabula prima juventae  
 406 laedere, et altrici vulnera ferre solo ?  
 407 Judice me, quantum sceleris commisit Orestes,  
 408 cui genitrix quondam victima dira fuit ;  
 409 quique tuos cecidit maerens, Eriphyla, lacertos,  
 410 cum periit lapsis Amphiarus equis ;  
 411 tam taetrum gerit ille nefas, qui dentibus atris  
 412 corrodit patriae viscera cara suae.  
 413 Illa dedit lucem, vitalesque attulit auras,  
 414 principium nostri seminis illa fuit.  
 415 Hic coepit vagire puer, digitisque minutis  
 416 reptavit dubio per sola plana genu.  
 417 Haec reficit primo tenera de matre cadentes,  
 418 haec alimenta suis ingerit uberibus.  
 419 Jure igitur meritoque parens communis haberi  
 420 debet, et a grata posteritate coli.  
 421 Hinc domitor Trojae, morumque exemplar Ulysses,  
 422 jactatus rapido per duo lustra mari,  
 423 omnia, quae lato cingit vagus aequore Nereus,  
 424 esse putat patriis inferiora bonis.  
 425 Hic Siculos sprevit cantus, et remige surdo  
 426 praeteriit blandas, monstra canora, deas,  
 427 quaeque adimit curas mira dulcedine lotos,  
 428 non potuit vigilem perdomuisse virum.  
 429 Et, quae Solis equos sistebat carmine, Circe  
 430 non potuit navem sistere Dulichiam.  
 431 Candida jam tereti pendebant lintea malo,  
 432 jam dabat optatas aura secunda vias.  
 433 Telegonus patrias vagitum misit in aures,



434 nec tamen injecit vocula blanda moram.  
 435 Ibat ad Aesonios Aeaea venefica cantus,  
 436 nec minus hic coeptum continuavit iter.  
 437 Quid tibi nunc, Circe, prosunt Perseidos herbae ?  
 438 Quidve recantatis laurus adusta focus ?  
 439 Frustra Thessalica ducis vertigine rhombum,  
 440 hippomanem frustra quaeris amantis equae.  
 441 Nulla Cytherino veniunt fomenta liquore,  
 442 acer amor magicae negligit artis opem.  
 443 Tu quoque per multas hyemes dilecta Calypso  
 444 Naryciam flesti, cum tulit aura, ratem.  
 445 Impie, quid facta gaudes, Neptune, carina ?  
 446 Non habet adversos naufragus iste Deos.  
 447 Cui bona Leucothoe supponit brachia nanti,  
 448 tranquillos aperit cui Melicerta sinus.  
 449 Litore constiterat, fluctu Nausica madentem  
 450 conspicit, et miti suscitatur alloquio.  
 451 Nec puduit nudum spectare, sed ille tegebat  
 452 frondibus et posita vilia membra manu.  
 453 Atria jam subeunt patriis innixa columnis,  
 454 jam struit innumeras aurea mensa dapes.  
 455 Ille tamen fumum (si quid modo credis Homero)  
 456 ex patriis optat cernere posse focus,  
 457 cerneret utque focus, genialis foedera lecti  
 458 sprexit et amplexus, virgo beata, tuos.  
 459 Munera Phaeacum felicibus edita silvis  
 460 liquit, et Alcinoi, quas dabat hortus, opes.  
 461 Maluit et scopulos Ithacae, muscosaque saxa ;  
 462 tantus amor patriae tantaque cura fuit.  
 463 Mira quidem pietas, totis effusa medullis,  
 464 non sinit, ut patriam destituamus humum.  
 465 Quam licet ex animo cupias secludere, furtim  
 466 serpit in ossa tamen, quaque vetatur, abit.  
 467 Sic natura jubet, naturae jura potentis  
 468 laedere caelestes vix puto posse Deos.  
 469 Hinc cecinere pii quondam, mea numina, vates  
 470 moenia natalis quantulacumque soli.  
 471 Apula sic Flaccus, sic rura Propertius Umbri,  
 472 sic Maro fatidicae virginis arva canit.  
 473 Naso tener celebrat gelidi Sulmonis honores,  
 474 et reficit vatem Bilbilis ora suum.  
 475 Carmina tu condis sacros laesura penates,  
 476 quae genium carpant innocuosque lares.  
 477 Tune sacer vates, purique Heliconis alumnus,  
 478 cui decorat placidas mitis oliva comas ?  
 479 Sparsa Lycambeo vibrasti tela cruore,  
 480 vulneribusque jacet saucia Boema tuis ?  
 481 Quo vigor ille animi, quo doctae Pallados artes,  
 482 quove abiit Clariis fama petita jugis ?  
 483 Non ut rere tamen (liceat modo vera tueri)  
 484 me Scythiae tellus, aut Geta durus habet.  
 485 Nec colo perpetuis damnata rigoribus arva,  
 486 arva Tomitano barbariora solo.  
 487 Panditur in latas celebris Germania terras,  
 488 numquam Romulea tota subacta manu.  
 489 Illius e gremio, silvis vallata jugosis,

490 erigit excelsum Martia Boema caput.  
 491 Sintque soluta licet veteris commercia linguae,  
 492 discat et Illyricos Boemica turba sonos,  
 493 Teutonicas tangit spatiis propioribus urbes,  
 494 nec nisi Germanis jungitur illa suis.  
 495 Terminus huic roseo Moravia surgit ab ortu  
 496 (vocibus en cogar nectere verba novis)  
 497 dives inexhaustis resonat qua Cuthna metallis,  
 498 argentoque fluens tota liquescit humus ;  
 499 at qua parte regit vultu Cynosura gelato,  
 500 flectitur obliqua Slesia ducta sinu.  
 501 Et levibus duri versant se Saxones armis,  
 502 Misnaque jugeribus non operosa suis.  
 503 Proxima Zacensesque tenent et moenia Lunae,  
 504 inde Cadana, tuae conscia terra lyrae.  
 505 Occiduos claudit populosa Bavaria fines,  
 506 qua patet aestivo fertilis Oegra vado.  
 507 Blandaque lascivos Glatovia jungit amores,  
 508 Pilsna sacris gaudet religiosa viris.  
 509 Sed qua Zona rubens medio curvatur ab axe,  
 510 Austria Bacchiferis explicat arva jugis.  
 511 Caesis hic viridi surgit vestitus Iaccho,  
 512 collectisque fluit plenior Ister aquis.  
 513 Hinc Budwis fecundat agros animosaque Thabor,  
 514 nuper ab exorta seditione potens.  
 515 Non Boemos rapit atra lues, nec torrida febris  
 516 pallentem misero ducit in ore notam.  
 517 Hic bona temperies, et sidere missa salubri  
 518 aura jubet fato prosperiore frui.  
 519 Brachia nil metuit Cancri, nil ora Leonis,  
 520 nec gemit Icario terra perusta cane.  
 521 Prodigus eversa non saevit Aquarius urna,  
 522 nec riget immodico Parrhasis ursa gelu.  
 523 Sed caper irradians Phryxei velleris auro  
 524 intepet, et spicis Virgo adoperta manus.  
 525 Ridet humus variis intexta coloribus, arbos  
 526 ridet adoptivis conspicienda comis.  
 527 Pinguiaque ingentes tondunt dumeta juvenci,  
 528 et niveas pascit fertile gramen oves.  
 529 Vidimus hic spreto modulantem Pana Lycaeo,  
 530 vidimus hic multo lacte madere Palen.  
 531 Hic habitant Charites, et junctis Gratia dextris,  
 532 et Jocus, et Risus, et bene gratus Amor.  
 533 Non agitant tristes curae, nec luctus inanis  
 534 sollicitat lacero pectora tunsu sinu.  
 535 Quisque epulis genioque vacat, passimque per herbas  
 536 exercet faciles blanda juvenia choros.  
 537 Non pudor est, largo mentem vincire Lyaeo,  
 538 nec pudor est, Veneris concaluisse face.  
 539 Hic homines nullo norunt livescere fuco,  
 540 utque quis ore refert, sic quoque corde gerit.  
 541 Nulla magis gaudet gens hospite, nulla profectis  
 542 orbe peregrino mitior esse solet.  
 543 Ut sileam reliquos, quis non Gindrache probabit,  
 544 exhibet externo quae tua cura viro ?  
 545 Tu mihi certa fides, requies tu certa laborum,

546 tu mihi funestos non sinis ire dies ;  
 547 tu facis, ut doctis juvet insudare Camenis,  
 548 subdis et admisso non leve calcar equo.  
 549 Saepe agis, o tantum foveas mea Boema poetam ;  
 550 tam bene qui cantat, concinat ille tibi.  
 551 Arma placent, fateor, mentem motura virilem,  
 552 non tamen hic deerit, quod vel inermis agas.  
 553 Saepe etenim Geticum permutat Apolline Martem,  
 554 Boema potens armis, carmine Boema potens.  
 555 Haec vehit argenti rivos aerisque fluenta,  
 556 aureaque effossa massa cavatur humo.  
 557 Terra ferax Cereris, nec fastidita Lyaeo ;  
 558 namque suum spirat munus uterque Deus.  
 559 Fruge patent sulci, vestit vindemia colles,  
 560 perstrepat Hyblaea gemmeus hortus ape.  
 561 Saepe levi certant examina blanda susurro,  
 562 saepe sonat placidum garrula carmen avis.  
 563 Haec loca frondosis Hercynia silva capillis  
 564 claudit, ab innumeris nobilitata feris.  
 565 Hic pharetrata suas spargit Dictynna sagittas,  
 566 et victrix multa caede cruentat humum,  
 567 mixtaque formosis Satyrorum turba Napaeis  
 568 captat in obscuro dulcia furta solo.  
 569 Labitur in medio vitreis argenteus undis  
 570 Albis, et errantes devehit amne Deas.  
 571 Colludunt virides sinuoso gurgite Nymphae,  
 572 forsitan et raptus foedera jungit Hylas.  
 573 Ista regit missus Rex Wladislaus Olympo,  
 574 aut Deus, aut certe proximus ille Deo.  
 575 Hic volucres sistamus equos ; huc lapsa quadrigis  
 576 figat inaequales blanda Thalia rotas.  
 577 In Regem mihi surgit opus, timor omnis abesto ;  
 578 si timor hoc prohibet dicere, cogit amor.  
 579 Carmina cogit amor raros testantia mores  
 580 nectere ; sunt Regi carmina danda meo.  
 581 Qui pariter cum luce sacra susceptus ab Aula  
 582 vidit in Attalico regia sceptrum toro,  
 583 primaque felici cunabula lusit in ostro,  
 584 natalique tulit prospera signa die.  
 585 Tum venti posuere minas, tum purior aether  
 586 fulsit, et irati substitit unda maris.  
 587 Tunc Venus arrisit, motisque decentior alis  
 588 Mercurius laeto cum Jove junxit iter.  
 589 Jam lanugo genas tenui discreverat auro,  
 590 blandaque vernabat flore novo facies ;  
 591 cum tibi, Boema potens, rerum submisit habenas,  
 592 regius et puro pectore cessit honos.  
 593 Cessit honos non arte mala, non fraude petitus,  
 594 milite nil actum belligerave manu.  
 595 Te medius legit, te summus et infimus ordo,  
 596 ductus ut a prisco tempore ritus habet.  
 597 Libera certarunt toto suffragia campo,  
 598 regnaque congestis sortibus urna dedit.  
 599 Quisque tibi pia vota tulit, tibi quisque per aras  
 600 optavit faciles, voce juvante, Deos.  
 601 Nec secus, atque suo nato carove parenti

602           quisque aderat titulis, Rex generose, tuis.  
 603       Nota tibi haec pietas imisque infixam medullis,  
 604           labitur in toto corde receptus amor.  
 605       Quidquid enim primo figit rude pectus ab aevo,  
 606           altius inseritur plusque vigoris habet.  
 607       Sic stabiles gerit arbor opes, sic firmius haeret  
 608           insita quae tenero est planta novella solo.  
 609       Macte bonis, tantum primaeva pube decorem  
 610           assequeris, quantum vix meruere senes.  
 611       Non animo frenos petulantior excutit aetas,  
 612           ingenium pueri nil puerile sapit.  
 613       A tenero gravitas roseo velata pudore,  
 614           et formosa decens sparserat ora rigor.  
 615       Non potuit rapidi gurgis corruptior aevi  
 616           te Veneris fluctu mergere praecipitem.  
 617       Non luxum suasistis opes ; jam vincere norat  
 618           divitiis Crassum, sobrietate Numam.  
 619       Plena suis numeris prima stetit indole virtus,  
 620           gloria jam summum nacta cacumen erat.  
 621       Miscueras senium pariter, pariterque juventam  
 622           ore puer, juvenis robore, mente senex.  
 623       Fama tenax veri totum vulganda per orbem  
 624           excepit placido nomina tanta sinu.  
 625       Protinus illa secans pernicipibus aethera pennis,  
 626           te mare, te terras, se super astra tulit.  
 627       Tecum lapsa Notos, Aquilonia frigora tecum,  
 628           Phoebaeaeque adiit limen utrumque domus.  
 629       Jamque vagum detorsit iter, qua Pannonis ora  
 630           crescit ab auspiciis facta beata tuis,  
 631       immerito sed tunc agitans discordia cives  
 632           undique collectis hostibus arma dabat.  
 633       Scilicet est quicumque nocens, quicumque profanus,  
 634           labe pari gaudet commaculare pios.  
 635       Venerat hinc motis pubes Germanica signis,  
 636           inde cruentato Sarmata vectus equo.  
 637       O nimium dilecta Deis, nimiumque beata  
 638           Pannonia, o faustis subdita sideribus,  
 639       quae Ducis invicti clypeum dextramque subisti,  
 640           impia cum quateret bellicus arma furor !  
 641       Ille tuis jussit secedere finibus hostem,  
 642           fregit et ultrici castra inimica manu.  
 643       Ille tibi pacem peperit, domitoque furore  
 644           abdedit aeterna ferrea bella sera.  
 645       Tu quoque grata vices alterna lege rependens,  
 646           sponte tua frenos servitiumque subis.  
 647       Dulce quidem sub Rege pio servire, nec ulla  
 648           libertas animo dulcior esse potest.  
 649       Tunc nova successit gemmantibus infula vittis,  
 650           et subiere tuas altera sceptra manus.  
 651       Tunc tibi sacrata rursus redimita tiara  
 652           tempora Regali cinxit in urbe Thomas.  
 653       Qui jam Cardinei fulget rota prima Senatus  
 654           summus honoratae religionis apex.  
 655       Hoc auctore, novas late molitus habenas,  
 656           flexisti populos in tua jura truces.  
 657       Ille procelloso surgentes aequore fluctus,

658           sedavitque feri mille pericla maris.  
 659       Ille per indomitas Syrtes rabiemque Maleae  
 660           incolumem vexit teque tuamque ratem.  
 661       Hic pace et bello casus sociatus in omnes  
 662           invigilat rebus nocte dieque tuis.  
 663       Magnanimo Phoenix sic insudabat Achilli,  
 664           talis et Atridae maxime Nestor eras.  
 665       Rexeris ipse pius quanto moderamine Boemos,  
 666           Hungarici fasces et nova regna docent.  
 667       Commendat veteres laurus repetita triumphos ?  
 668           Primo dignus erat, cui geminatur honos.  
 669       Quae pietas, quam certa fides, quod pace vel armis  
 670           egeris, unde salus, unde petita quies.  
 671       Singula complecti cuperem ; sed gurgite vasto  
 672           jactor, et audentem subruit unda prior.  
 673       Magnum iter aggressus, spatioso limite ducor,  
 674           ipsaque Pierios orbita laxat equos.  
 675       Quo ferar ? Hinc virtus, illinc nitor igneus oris,  
 676           inde rapit clarum nobilitate genus.  
 677       Laude licet florere tua quam sanguine malis,  
 678           gratior est propriis gloria parta bonis.  
 679       Te natura parens vires effudit in unum,  
 680           dignaue caelesti contulit ora Deo.  
 681       Nec nocuit fortuna tibi, sed victa pudore  
 682           se facilem tanto praebuit illa viro.  
 683       Illa serenatam duplici diademate frontem  
 684           cinxit, inoffensa te tulit illa rate.  
 685       Hoc duce venturae praesaga Polonia sortis  
 686           obtulerat pronas ad tua vincla manus.  
 687       Sidereum sublatus erat Casimirus ad axem,  
 688           progenie felix terque quaterque sua.  
 689       Tu tamen haeredis nudo contentus honore  
 690           donasti fratri tertia scepra tuo.  
 691       Quae scelera admittat regnandi caeca cupido,  
 692           funera Thebarum Romulidumque docent.  
 693       Tu potius, Regnum spatio brevior recludens,  
 694           vis minus esse potens, quam minus esse pius.  
 695       Idque agis accensus solo virtutis amore ;  
 696           nullus inest dicta sub pietate dolus.  
 697       Par animo vultus, placido nec blanda sub ore  
 698           mella gerens, alto pectore virus habes.  
 699       Ingenii linguaeque modus, non voce feroci  
 700           mens agitat grandes imperiosa minas.  
 701       Plus cogit, qui dulce rogat ; tranquilla potestas  
 702           saepius excludit, quod violenta nequit.  
 703       Non patulas falsis aperis rumoribus aures,  
 704           nec premit insontes improba lingua reos.  
 705       Te numquam vani ratio ventosa favoris  
 706           compulit obliqua flectere lora manu.  
 707       Non quatis erectas tumefacto vertice cristas,  
 708           nec tamen inflexo poplite tangis humum.  
 709       Inter utrumque tenes libram ; non frena resolvit  
 710           gratia, non odiis extenuatur amor.  
 711       Haec hominum sed laude geris, clementia sola  
 712           te superis aequat sidereumque facit.  
 713       Negligis offensas, veniam das sontibus ultro,

714 vindictaeque genus, posse nocere, putas.  
 715 Ingemis, et, quoties facinus punire necesse est,  
 716 invitaque jacies tela coacta manu.  
 717 Cedat ponte Cocles, concedat Mutius igne,  
 718 cum totidem Deciis cedat uterque Cato.  
 719 Rege sub hoc auri de nomine ducitur aetas,  
 720 qualis, Saturno regna tenente, fuit.  
 721 Arbiter hic morum, juris radiator et aequi  
 722 fulget, ut Eois lucifer ortus aquis.  
 723 In commune sagax, ad publica commoda natus,  
 724 quem patriae possis jure vocare patrem.  
 725 Consulit in medium, vigilat proque omnibus unus,  
 726 nec sinit, ut regni pars labet ulla sui.  
 727 Exemplo, non voce monet, dictamen honesti  
 728 vivendique modum vita regentis habet.  
 729 Crimina qui carpit, sit ab omni crimine purus,  
 730 castigetque alios, quem sua vita probat.  
 731 Ille licet medio raptetur turbine rerum,  
 732 inconcussa suae robora mentis habet.  
 733 A vitiis animus per tanta negotia liber,  
 734 altius humana condicione nitet.  
 735 Ille pios donat pretioso munere vates,  
 736 jam sua mellifluus praemia gestat olor.  
 737 Ingenuae redeunt artes, et nube remota  
 738 surgit ab obscuro splendida Musa situ.  
 739 O tibi perpetuum si quis Deus annuat aevum,  
 740 aeternaque regas tradita lora manu.  
 741 Tunc ego crediderim caelesti sede relicta,  
 742 nobiscum in terris degere velle Deos.  
 743 Sed quia mortales nil non mortale tenemus,  
 744 desinit et quidquid coeperat esse semel ;  
 745 producas similes longa propagine natos,  
 746 et soboles aevum proroget ipsa tuum.  
 747 Nos Deus ut nasci voluit, sic gignere, dempta  
 748 ne pereat mundus posteritate, jubet.  
 749 Junge maritales sociali foedere taedas,  
 750 inque tuos veniat nupta pudica sinus.  
 751 Quid viduo recubare juvat sine conjuge lecto ?  
 752 Ducereque ingrata somnia lenta mora.  
 753 Cur fraudas viridem fructu meliore juventam ?  
 754 Jam veniet tremulo curva senecta gradu.  
 755 Dum tua fata sinunt, fugientibus utere donis ;  
 756 labitur aligero vita citata pede.  
 757 Rumpe moras, blandum tibi fert Venus aurea Cestum,  
 758 quo mare, quo terras, sideraque alta domat.  
 759 Subsequiturque comes pictis amor igneus alis,  
 760 improbus armatis bella gerens calamis.  
 761 Ille potest duras Veneri mollire puellas,  
 762 ille feras, homines, subjugat ille Deos.  
 763 Ecce novae nuptae puppis Cadmaea colores  
 764 advehit, ut picta fulgeat in tunica.  
 765 India dat gemmas, extremi vellera Seres,  
 766 fert aurum Lydus, cinnama mollis Arabs.  
 767 Huic certant servire Deae, mitissima Flora  
 768 purpureis textit lilia mixta rosis.  
 769 Flammea praetendit roseo Diana pudori,

770 legitimas Juno ventilat arte faces.  
771 Ipse ego vittatus puraque in veste sacerdos  
772 turicremis fundam dona Sabaea focis.  
773 Et laetum Paeana canam laetosque Hymenaeos.  
774 O Hymenaeae hymen, o Hymenaeae hymen !  
775 Tunc Fescennino permissa licentia luxu  
776 auribus afflabit dulcia verba tuis.  
777 Exuat austeros majestas regia vultus,  
778 exuat aspectus bellica forma truces.  
779 Pro pharetra flores, pro casside necto corollas,  
780 tibia pro lituis dulcia bella sonet.  
781 Has ego militias referam, cum more Sabino  
782 sparserit audaces Musa jocosa sales.  
783 Virgineo stillant madefacta cubilia rore,  
784 fulcraque jactati concrepuere tori.  
785 Miles, io, forti devicit Amazona telo,  
786 transadigit medium durior hasta latus.  
787 Vulnere tam saevo morientem paene puellam  
788 victor adhuc urget sub pedibusque premit.  
789 Mutua jam certant vibrantibus oscula linguis,  
790 morsaque candidulo dente labella tument.  
791 Quamquam agitent graviora lyras ; juvat arma referre,  
792 et pia pro sancta proelia gesta fide.  
793 Certa tibi mens est, Mahometis frangere tela,  
794 quae nimis, heu, nostro sanguine tela madent.  
795 Utque canum possis rabiem frenare nocentum,  
796 sancta salutiferae tollere signa crucis.  
797 Haec dabit intacta natus de virgine Christus,  
798 haec dabit Angelici turba novena chori.  
799 Auguror : en vinces ; mens est praesaga poetis,  
800 verius ad tripodas nulla Sybilla canit.  
801 Jam video Turcas versis dare terga lupatis,  
802 jam video turpi castra relictas fuga.  
803 Oppida sub nostras video redeuntia leges,  
804 regnaque barbarico solve colla iugo.  
805 Jam Byzantino referes de Marte triumphum,  
806 stabit et ante tuos Graecia capta pedes.  
807 Magna tropaea geres prisco de more Quiritum,  
808 ibis in auratis aureus ipse rotis.  
809 Dextra subibit ebur, picto fulgebis amictu,  
810 cinget victrices Populus alba comas.  
811 Laetus, Io, miles, lauroque insignis et auro,  
812 hostibus ereptas praeferet exuvias.  
813 At captiva cohors, manibus post terga revinctis,  
814 ante coronatos flebilis ibit equos.  
815 Fercula ducentur veros imitantia vultus,  
816 cum ducibusque ferent oppida capta suis.  
817 Bellica caelatis procedet pompa figuris,  
818 et variis oculos fallet imaginibus.  
819 Flebunt captivi dejecto vertice montes,  
820 diripietque suas arida silva comas.  
821 At pavidi fugient effractis cornibus omnes,  
822 et teget hostiles canna palustris aquas.  
823 Inde triumphalem spoliis radiantibus arcum  
824 eriget in nomen laeta caterva tuum.  
825 Plausu laeta domus, plausu fora laeta sonabunt,

826           excutiet curas omnibus illa dies.  
 827       Haec ego Maeonio referam sublimis in ostro,  
 828           Mimnermique loco magnus Homerus erit.  
 829       Altera debetur tam grandibus Ilias actis ;  
 830           jam mihi Smyrnaeo spiritus ore tonat.  
 831       Jam me fama vehit candenti lactea penna,  
 832           fama per extremos lapsa Borysthenidas.  
 833       Trans mare, trans terras, trans ulteriora feremur,  
 834           si poterunt nobis ulteriora dari.  
 835       Quo rapimur ? Novus unde furor ? Qua voce triumphos,  
 836           Musa canes ? Levibus vix satis apta jocis.  
 837       Polliceor, toto nequeam quod solvere in aevo,  
 838           non, si Nestorea stent mea fata mora.  
 839       Contrahe vela manu, fragili tam vasta phaselo  
 840           aequora ne temptes, contrahe vela manu.  
 841       Metiri se quemque decet ; qui viribus impar  
 842           suscipit, hic primo limine jactat onus.  
 843       Hanc subeas molem validis, Bohslave, lacertis ;  
 844           aptior est humeris sarcina nulla tuis.  
 845       Solum Alexandrum digne pingebat Apelles,  
 846           quae decoret Regem, non nisi Musa tua est.  
 847       Huc agedum versis currum deflecte lupatis,  
 848           et tuus hoc tandem pulvere sudet equus.  
 849       Linque feras acies, civilia bella facessant,  
 850           a patria innocuas comprime, quaeso, manus.  
 851       Ac potius converte tubam, cane signa receptus,  
 852           cumque tuis pacem conciliatus age.  
 853       Jus prohibet Patriae, prohibet vim ferre parenti,  
 854           res utcumque cadat, dignus uterque coli est.  
 855       Non tamen ex animo (liquet hoc carissime nobis)  
 856           sunt tibi mordaci carmina tincta nota.  
 857       Hoc per caesariem Phoebi jurare decoram  
 858           ausim, perque tuas, sancte Cupido, faces.  
 859       Non adeo immites Parnassius educat humor,  
 860           nec facit ad mores tam fera Musa pios.  
 861       Illa quidem, nostrae quae sit sententia menti,  
 862           pertentat vaftris ingeniosa notis.  
 863       Sumit et hostiles ficta sub imagine vultus,  
 864           pectoris explorans abdita sensa mei.  
 865       Non minus ut laetum fraudi praetendere vultum,  
 866           sic odii specie dissimulatur amor.  
 867       Regi fidus erat, fuerat qui creditus hostis,  
 868           proderet antiquas cum Babylonis opes.  
 869       Vinceret ut Gabios Tarquini filius, arma  
 870           extulit in patrem, conseruitque manum.  
 871       Ars est captandi, quod vis, id nolle videri !  
 872           Retia sic silvis, sic latet hamus aqua.  
 873       Hac simulasse tenus liceat, jam Numine dextro  
 874           in patrias laudes magne Poeta veni.  
 875       Floreat aeternum, totoque virescat in orbe,  
 876           notior ingenio Boema futura tuo.  
 877       Et regnum Regemque pari celebremus honore ;  
 878           dux patria dignus, patria digna duce.  
 879       Haec, Bohuslave, tuo sunt arva riganda liquore,  
 880           qui semper vena fertilioris fluis.  
 881       Nam meus, unde sacros quondam libavimus haustus,



882 rivus agit nullas pulverulentus aquas.  
 883 Proque Helicone bibo caenosi gurgitis undam,  
 884 cogor et ex tota cedere Castalia.  
 885 Assiduus maeror, fixique in corde dolores,  
 886 excutiunt cantus, excutiuntque lyras.  
 887 Non bene sollicito carmen deducitur ore,  
 888 nec resonat maesta barbitos icta manu.  
 889 Audeat invita si quis cantare Minerva,  
 890 audebit frustra, deficientque melos.  
 891 Non datur ignavis producere nomina cartis,  
 892 nullus ab inculto carmine surgit honos.  
 893 Haec ego Bohslavi miro succensus amore,  
 894 Adriacae cecini Balbus alumnus aquae.  
 895 Grande feram pretium, tanto placuisse Poetae,  
 896 Bohslavo nec erit displicuisse pudor.

DE SUCCESSIBUS ET FUTURIS VICTORIIS  
 CAROLI IMPERATORIS ET FERDINANDI REGIS VATICINATIO

C\_2 v.1 Nox erat, et puro radiabant lumina caelo :  
 2 rosidaque in bijugis luna nitebat equis.  
 3 Dum me nocturnis operantem sacra Camenis  
 4 curarum domitrix ceperat alta quies :  
 5 en Phoebus viridi redimitus tempora lauro  
 6 est visus nostra ponere sede pedem.  
 7 Candida vestis erat viridi distincta smaragdo,  
 8 stabat et in toto plurimus ore decor.  
 9 Intonsi crines longa cervice fluebant,  
 10 haerebant lateri munera grata lyrae.  
 11 Qui simul ac plectro citharam percussit eburno,  
 12 fatidico tales edidit ore sonos :  
 13 olim Caesareis celeberrima Roma triumphis  
 14 protulit in geminos sceptrum verenda polos.  
 15 Cuncta domans qua parte dies caput exerit, et qua  
 16 sol Tartesiaco tingit in amne rotas.  
 17 Illius aurati celebrarunt limina currus,  
 18 illius in plausum tota fremebat humus.  
 19 Haec Arabes, Medos, gracilesque coercuit Indos,  
 20 teque sagittifera, Parthe superbe, fuga.  
 21 Paruit huic lapsus septena per ostia Nilus,  
 22 turbidus et rapida factus Oaxis aqua.  
 23 Paruit et toto divisa Britannia mundo,  
 24 et posita Eoo litore Thaprobane.  
 25 Ast ubi dux Latius Byzantia regna petivit  
 26 deseruitque tuos, Martia Roma, lares,  
 27 degenerem perpessa togam de culmine tanto  
 28 excidit, innumeris exagitata malis.  
 29 Nec licuit duri vitare pericula casus,  
 30 Caesare cum fuerit jam spoliata suo.  
 31 Inde Scythae, Gothique truces, et durus Alanus,  
 32 proxima Riphaeo qui colit arva jugo.  
 33 Cladibus innumeris Latios fregere penates,  
 34 ipsaque ab hostili est Roma perusta face.  
 35 Gallica nunc pubes Belgisque emissa juvenus

36           ingruit in clades Ausonis ora tuas.  
 37       Nemo tamen querulos volvat sub pectore luctus,  
 38           nullaque funestus contrahat ora dolor.  
 39       Nam jam laesa reedit vultu fortuna secundo ;  
 40           jam remeat pulsa nube serena dies.  
 41       Carolus in toto phoenix velut unica mundo  
 42           auspiciis revehet prospera fata suis.  
 43       Et simul Arctoo Rex Ferdinandus ab axe  
 44           arma geret fratri consocianda suo.  
 45       Quem modo belligeris animosa Boemia terris  
 46           constituit Regem magnanimumque Ducem,  
 47       mox quoque Pannonii sceptris auxere secundis,  
 48           et gemina est capiti juncta corona suo.  
 49       Hic caput imperii repetet, domitisque tyrannis  
 50           solvat ab infami libera colla jugo ;  
 51       victricesque aquilas Capitoli sede locabit,  
 52           nec nisi Romanum, quod tueamur, erit.  
 53       Gallorum cedet feritas, populique rebelles  
 54           Ausoniae tandem sub juga colla dabunt.  
 55       Sed simul ac vincet, victis sua jura remittet  
 56           Carolus ut bello, sic pietate prior.  
 57       Vincit enim, victis ut parcere possit, et illa,  
 58           qua gerit, hac gaudet ponere tela manu.  
 59       Nec tam Marte ferox, domito quam mitis in hoste  
 60           moribus exaequat clara tropaea suis.  
 61       Patris, non domini ritu complectitur illos,  
 62           qui veniam lapsi supplice voce rogant.  
 63       Ingenua supplex venia donabitur hostis,  
 64           et bona libertas paxque redibit ovans.  
 65       Nec plus laudis erit, talem meruisse triumphum,  
 66           quam procul ultrices abstinuisse manus.  
 67       Ast ubi secura populos in pace locabit,  
 68           quos gemino cingit litus utrumque mari ;  
 69       nil ille in Turcas cessabit Marte feroces  
 70           sancta salutiferae tollere signa crucis ;  
 71       et cum fratre pio communem raptus in hostem  
 72           delebit populos Marte favente truces,  
 73       qui Siculos aequant dira feritate Cyclopas,  
 74           et rigida fultum Gorgone pectus habent.  
 75       Hos puto Scylla vorax latrantibus exspuit undis,  
 76           aut ea, quae duplex litora Syrtis habet.  
 77       Hi tamen, o facinus, nostrique o dedecus, aevi !  
 78           Viribus Eoos, Hesperiosque premunt.  
 79       Hosque Syri metuunt Arabes, et Cares et Indi,  
 80           atque Semiramia moenia structa manu.  
 81       Carmanusque, Cilexque et longi cultor Imavi  
 82           aequa nec hospitibus Taurica terra suis.  
 83       Quaque fluit Ganges, auro qua turbidus Hermus,  
 84           Tigris et Euphrates qua loca culta rigant.  
 85       Jamque Asia domita spoliis Orientis onusti  
 86           Europae in medio bella cruenta gerunt.  
 87       Nec Thraces domuisse sat est, Hemumque nivalem  
 88           fregisse et vires, Graecia docta, tuas.  
 89       Moesia victa jacet, jacet ingens Illyris ora,  
 90           flexaque montanae brachia Dalmatiae.  
 91       Et Mathii subiere jugum, subiere Liburni,

92 et quos praeterea longa referre mora est.  
 93 Jamque iter ad Rhenum, fontemque binominis Istri  
 94 dirigit et volucris qua fluit Albis aqua.  
 95 Hocque magis sitiunt, plus amisere cruoris  
 96 insatiabilibus gens numeranda lupis.  
 97 Dira quoque in superos saevorum more gigantum  
 98 bella gerit, nullos dum putat esse Deos.  
 99 Carolus hoc dedecus caelestis robore clavae  
 100 tollet, et in Stygias praecipitabit aquas.  
 101 Occidet extincto Mahometica secta furore,  
 102 occidet et quicquid impietatis erat.  
 103 Tum belli finis requiesque optata malorum ;  
 104 tum nihil adversi, quod vereamur, erit.  
 105 Haec tibi Phoebus ego superis elapsus ab oris  
 106 et ventura sono vaticinante cano ;  
 107 ut tu, quem nostris puerum gestavimus ulnis,  
 108 Austriacae celebres tanta tropaea domus.  
 109 Difficile est, fateor, sed tendit ad ardua virtus,  
 110 magnaque de duro fama labore venit.  
 111 Suggestit ipsa tibi validas in carmina vires,  
 112 et dabit optatos Calliopaea sonos.  
 113 Carolus ut relegens modulata poemata dicat,  
 114 tam bene qui cantat, concinat ille mihi.  
 115 Irrita non sterili committas semina terrae,  
 116 quaeque feres duplici fenore reddet ager.  
 117 Haec ubi dicta dedit tenues ceu fumus in auras,  
 118 Phoebus abit, visus destituitque meos.  
 119 Voce Dei monitus te, lux clarissima mundi,  
 120 alloquor, inque sacros ora resolvo sonos.  
 121 O decus Austriacae spes et nova gloria gentis,  
 122 proxima qui magno cum Jove sceptrum tenes.  
 123 Cuncta tuo pendent a Numine, machina mundi  
 124 tota humeris coepit nunc onus esse tuis.  
 125 Tu clarum afflictis lumen mortalibus affers,  
 126 et nitidum toto spargis in orbe jubar.  
 127 Qua Boream spectat sublimis ab aethere vertex,  
 128 qui numquam liquidis praecipitatur aquis ;  
 129 quaeque interjecto mundi pars altera sole,  
 130 suspicit Arctoum delituisse polum.  
 131 Tu Senonum strages, et Cimbrica damna rependes,  
 132 ac Totilae flammam, Vandalicumque nefas,  
 133 tu Mausolei redimes pia templa sepulchri,  
 134 regnaque barbaricas non bene passa manus.  
 135 Turca ferox dabit ora tuo nectenda capistro,  
 136 atque Borysthenio Tartarus orbe nocens,  
 137 insignemque feres superato ex hoste triumphum,  
 138 quo ritu veteres instituistis avi ;  
 139 qualis ab edomita victor Tirynthius hydra,  
 140 qualis et Eoo Bacchus ab orbe tulit.  
 141 Alta coronato repetis Capitolia curru,  
 142 turba sequens lauro tempora vincita geret.  
 143 Praecedent duris onerati colla catenis  
 144 a te devicti per fera bella duces.  
 145 Qui scelerata colunt Mahometis sacra nefandi,  
 146 quicquid et impurae religionis erat.  
 147 Praecipue Turcae domita cervice gerentes

148 vincula, qui nostris gentibus horror erant.  
 149 Fercula ducentur celebri solemnibus pompa,  
 150 cum titulisque legent oppida capta suis.  
 151 Fluminaque, et veros simulacra imitantia montes  
 152 armaque per tumulos telaque juncta suos.  
 153 Ornabis sacras spoliis hostilibus aedes,  
 154 virtuti referens tot monumenta tuae.  
 155 Curia gaudebit, patribus stipata verendis,  
 156 plebs, eques, ore, manu, prospera signa dabunt.  
 157 At tuus auratis miles spectandus in armis  
 158 laetus Io magna voce triumphae canet.  
 159 Dicite Io felix, Pylios dominetur in annos,  
 160 Carolus et nostro semper in ore sonet.  
 161 Dicite Io faustos, quibus hoc sub Principe nasci  
 162 contigit, et tanto Numine posse frui.  
 163 Dicite Io longum Rex Ferdinandus in aevum  
 164 floreat, et fratri proxima sceptrum ferat !  
 165 Austriacosque Duces solitis circumvolet alis  
 166 gloria, quae solis lustret utramque domum.  
 167 At te victorem, cum sacra palatia scandes,  
 168 Roma coronatis laeta videbit equis.  
 169 Ferdinandus ovans curru sublimis eodem,  
 170 vincula geret capiti laureaserta suo.  
 171 Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,  
 172 diffundetque animos omnibus illa dies.  
 173 Qui laetum Paeana canent, duo fulmina belli  
 174 Austriades, superis proxima regna tenent.  
 175 Ipse pio cultu solemnibus pronus ad aras  
 176 propitio reddes debita vota Deo.  
 177 Costum molle fluet, passim spargetur amomum,  
 178 et quae sepositus cinnamum mittit Arabs.  
 179 Pinguia adorato sudabunt balsama ligno,  
 180 et quae perfracta cortice nardus olet.  
 181 Ast ubi jam manibus purgatum sanxeris orbem,  
 182 clausuris et firma bellica templa sera.  
 183 Prisca renascentur meliori saecula metallo,  
 184 non tuba, non litui, Martia signa, canent.  
 185 Non acies, non vallus erit, non arma, nec hostis  
 186 classibus aeratis per mare bella geret.  
 187 Ferrea non teneros uret lorica lacertos,  
 188 nec gravis imbelles atteret hasta manus.  
 189 Justitia aethereas tandem delapsa per auras  
 190 pollutam nulla labe reviset humum.  
 191 Non ferus insiliet stricto sicarius ense,  
 192 praedo nec innocuas quaeret avarus opes.  
 193 Non struet insidias fido delator amico,  
 194 fama nec ullius plena cruoris erit.  
 195 Lurida non metuent suspectae toxica mensae,  
 196 privigno nec erit dira noverca suo.  
 197 Captator fumos populo non vendet inanes,  
 198 credula quem foveat simplicis aula ducis.  
 199 Nullus in adversos tendet sua brachia fluctus,  
 200 cum liceat facili currere cuique via.  
 201 Haec ego non humili referam dicenda cothurno,  
 202 sit licet exiguo parvus in ore sonus ;  
 203 sed tamen ingenii quidquid de paupere vena

204 fluxerit, id votis serviet omne tuis.  
 205 In me quod laudes, erit officiosa voluntas,  
 206 hac quoque contentum credimus esse Deum.  
 207 Jam libet hostiles memorare in proelia turmas,  
 208 dicereque invicti Martia castra Ducis ;  
 209 jam canere edomitas utroque a cardine gentes,  
 210 partaque victrici bina tropaea manu.  
 211 Dum sol volvetur rapido contrarius orbi,  
 212 Lunaque fraternis obvia curret equis.  
 213 Te super astra vehet sublimi gloria penna ;  
 214 sint modo carminibus tempora longa meis.  
 215 Carmina non metuunt cariosae damna senectae,  
 216 illa licet rapido gutture cuncta voret.  
 217 In Boream pergat, quicquid mitemus ab Austro,  
 218 testis et occiduae vocis Eous erit.  
 219 Trans mare, trans terras, trans ulteriora feremur,  
 220 si poterunt nobis ulteriora dari.  
 221 Sed mea laetarum tibi sit jam nuntia rerum  
 222 Musa, per aethereas cardine lapsa vias.  
 223 Et praesaga boni venientia fata retexat,  
 224 quae tibi de niveo vellere Parca trahit.  
 225 At tu, Phoebe pater, certis qui legibus aevi,  
 226 quae sunt, quae fuerant, quaeque futura, canis.  
 227 Ista, tuo monitu cum sint ventura, locutus,  
 228 adjice carminibus pondera digna meis.  
 229 Nilque fit in terris occasu solis ad ortum  
 230 quod non Austriaca sub ditione fluat.  
 231 Sic fore vaticinor, moneoque : favete monenti !  
 232 Utque haec sint stabili credita verba fide,  
 233 praescia signa ferat, venturique omnia fati  
 234 proximus Eois lucifer ortus aquis.

AD PATREM POMP. COLUMNAM, SEDIS APOSTOLICAE CARDINALEM,  
DE CLADIBUS ITALICIS

C\_3 v.1 Heu mihi ! Quam vanum est, humanis fidere rebus,  
 2 quam vanum est, ullo ponere certa loco.  
 3 Cum rotet ambiguo fortuna volubilis orbe,  
 4 quaeque valent, fato saepe jubente ruant.  
 5 Roma caput rerum, supremo grata tonanti,  
 6 sacrorum cultu Roma verenda pio,  
 7 quaeque olim populos plena ditione regebat,  
 8 heu jacet ! Hostili saucia facta manu.  
 9 Septenis urbs alta jugis, rapiente Suevo  
 10 praeda jacet, laribus sanguinolenta suis,  
 11 nec sacra clavigeri potuerunt limina Petri  
 12 pellere sacrilegas caede furente manus.  
 13 Caede nova rubuit perfusus sanguine Tibris,  
 14 truncaque funereis corpora volvit aquis.  
 15 Nec modo Roma perit, rapit omnia tristis Erinnys,  
 16 saevit et Ausonio barbara turba solo.  
 17 Appulus, et Samnis, junctusque Gabinus Etrusco  
 18 sentit vicinis classica pulsa locis.  
 19 Ingruit hic latis audax Hispania terris ;

20           hic Italas Galli depopulantur opes.  
 21       Inde furit sitiens pubes germana cruoris,  
 22           hinc eques, inde pedes pronus ad arma ruit.  
 23       Agmina collatis coeunt in proelia turmis ;  
 24           aestuatur audita militis ira tuba.  
 25       Caede madet tellus, squalent populatibus agri ;  
 26           et cremat innocuas hostica turba casas.  
 27       Vix urbes miseri porta valloque tuentur,  
 28           haec quoque habent hostes, quoque vetantur, eunt.  
 29       Tecta rigent densis veluti vallata sagittis ;  
 30           nulla levant miseros otia, nulla quies.  
 31       Ferreus contorta volvuntur pondera funda ;  
 32           et grave muralis machina jactat onus.  
 33       Roma refer, tantos moveat quae causa furores,  
 34           quidve acuat populos in tua regna truces.  
 35       Fallor : an in causa est dominandi caeca libido,  
 36           quae rapit audaces, praecipitatque viros.  
 37       Omnibus innata est potiundi gloria sceptri ;  
 38           pro regno in facinus quodlibet ire juvat.  
 39       Hinc mala junctarum nata est discordia rerum,  
 40           hinc cecidit rupto foedere sancta fides.  
 41       Hinc torto vittata caput serpente Megaera,  
 42           Thesiphoneque atris ignibus usta genas,  
 43       omnia commiscent caelo, terraque marique :  
 44           pace caret tellus, aequora pace carent.  
 45       Sunt et opes, Latio quae forsitan ab hoste petantur ;  
 46           regnaque finitimis uberiora locis.  
 47       Nulla magis Cereri, nec dulci grata Lyaeo  
 48           terra patet, gemino conspicienda polo.  
 49       Clarior apta magis studiis, quam commoda fraudi,  
 50           Phoebe tuae sedes, docta Minerva tuae.  
 51       Anne ita fata jubent, rerumque immobilis ordo,  
 52           ut regna alterna stentque cadantque vice.  
 53       Assyrio sic Medus opes, sic Persia Medo ;  
 54           sic Persae Macedo sceptrum superba tulit.  
 55       Saepe etiam mundi domitrix pulcherrima Roma  
 56           sensit mutatos in sua fata Deos.  
 57       Haec juga Samnitum passa est, pugnamque sinistram  
 58           Cannarum, haec Senones, Teutonicasque manus.  
 59       Ipsa quoque immiti succumbere nescia casu  
 60           fatorum ratio sub pede victa jacet.  
 61       An fortuna potens ratione valentior omni,  
 62           res hominum dubia fertque refertque rota.  
 63       Nulla quidem est virtus, quae non concussa fatiscat,  
 64           saevit ubi adversa sors violenta manu.  
 65       Forsitan et stellae, mundi quibus ima reguntur,  
 66           motibus haec agitant inferiora suis.  
 67       Hinc tulit exoriens nuper fera bella cometas,  
 68           saevus et Orion prodidit ense nefas.  
 69       Quis neget, aeternis moderari legibus orbem,  
 70           sidera fatales volvere nata vices.  
 71       Omnia vertuntur ; caeli rotat omnia vertex ;  
 72           quaeque cadunt, surgent, quae valuere, ruunt,  
 73       non agit aequales semper vaga Cynthia currus ;  
 74           nec sol est paribus semper anhelus equis.  
 75       Sit quaecumque tamen tantorum causa malorum ;

76           robore fixa manet alta columna suo.  
 77       Quam neque fulmineus potuit convellere turbo ;  
 78           frangere nec saevi tela trisulca Jovis.  
 79       Quin tua, Pompei, dubiis agitata procellis  
 80           plus nituit virtus, plusque decoris habet.  
 81       Scilicet adversis probitas exercita rebus  
 82           emicat, in mediis conspiciturque malis.  
 83       Quam cuperem tua facta pio deducere versu,  
 84           atque humeris tantae sumere molis onus.  
 85       Sed tua tam magnis cumulata est gloria rebus,  
 86           ut foret ex isto pondere fessus Atlas.  
 87       Fortior ecquis adest, validisque instructor armis ;  
 88           ecquis in immenso justior orbe patet.  
 89       Cuive data excelsae tanta est constantia mentis ?  
 90           Plura quis ingenio concipit alta suo !  
 91       Ut ferus es bello, sic es placabilis hosti,  
 92           ocius eque animo decidit ira tuo.  
 93       Quae nisi sit freno, validisque coercita vinclis,  
 94           aequales rabidis nos facit esse feris.  
 95       Non cadit in mores fastus culpabilis istos ;  
 96           nil in se tumidi mens generosa capit.  
 97       Erigis afflictos, et iniqua sorte jacentes,  
 98           nec sinis in medio naufraga membra salo.  
 99       Sontibus ignoscis, culpaes quos paenitet actae,  
 100           ulla nec improbitas te facit esse trucem.  
 101       Quid quod ubique modum rebus servare secundis  
 102           nescis, et adversis ne rapiare, caves.  
 103       Prospera non tumidum, non te videre jacentem  
 104           tristia, statque eodem mens tibi nixa gradu.  
 105       Nec plus hac vel parte sedet, vel surgit ab illa,  
 106           aequa sed expendit tempora lance pari.  
 107       Utque tenax non es, parti nec prodigus aeris,  
 108           sic das propensa munera larga manu.  
 109       Nec tam divitiae, splendorque insignis avorum,  
 110           quam te conspicuum mens sine labe facit.  
 111       Ut stipulas electra trahunt, magnesia ferrum,  
 112           sic trahis affatu pectora cuncta tuo.  
 113       Hyblaeis geris ora favis, permixta gerisque  
 114           pectora, Rhiphaea candidiora nive.  
 115       Te natura parens cumulata dote beavit,  
 116           et posuit clari quicquid in orbe fuit.  
 117       Quo feror et tenui praeconia tanta libello  
 118           prosequor, heroum res decet ista pedem.  
 119       Hic mihi praescripto claudatur pagina gyro,  
 120           non facit ad laudes Musa pusilla tuas.  
 121       Postmodo si placida facilis Deus annuet aure,  
 122           hos repetam cantus uberiore lyra.

AD AMPLISSIMUM P.L. CARDINALEM SANCTORUM QUATTUOR DE DIE EIUS NATALITIO

C\_4       v.1       Candida lux remeat niveo signanda lapillo,  
           2        Laurenti, partu facta beata tuo.  
           3        Vagitus haec prima tuis natalibus hausit,  
           4        et dedit aethereo lumine posse frui.

5 Tunc tibi felices duxerunt stamina Parcae,  
 6 tunc risere ortu sidera laeta tuo.  
 7 Alma Venus, volucrique comes Cyllenius astro  
 8 fulsit, et ignivomi stella benigna Jovis.  
 9 Nube cava latuit Mavors et scaevus Orion,  
 10 falciferi latuit noxia flamma senis.  
 11 Tunc Phoebus rutilans claro surgebat Eoo,  
 12 et matutinum sparserat orbe jubar.  
 13 Sustulit hic tenera puerum de matre cadentem,  
 14 blandaque Pieriis ora rigavit aquis.  
 15 Mox ait : Alme puer, felicibus edite Parcis,  
 16 alme puer Tusci spesque decusque soli !  
 17 Alta serenati plaudit tibi regia caeli,  
 18 plaudit et angelici turba novena chori.  
 19 Ipse pater Divum, celsi regnator Olympi,  
 20 fundit ab aethereo tot tibi dona polo.  
 21 Certa fides, pietasque tenax, constantia, robur,  
 22 sincerusque sacrae religionis amor,  
 23 et pudor, et probitas, placidoque modestia vultu  
 24 mente tua sedes hospitiumque locant.  
 25 Te natura parens vires effudit in unum,  
 26 et posuit pulchri quicquid ubique fuit.  
 27 Non oberit fortuna tibi ; sed victa pudore  
 28 se facilem votis offeret illa tuis.  
 29 Utque haec certa meae maneant praesagia vocis,  
 30 arbore de nostra nomina clara geres :  
 31 deque triumphali duces insignia lauro,  
 32 Laurenti, lauro concelebranda mea.  
 33 Ut laurique gerunt aeternae frondis honores,  
 34 sic erit aeternum fama decusque tibi.  
 35 Haec ait, et puerum Musis comisit alendum  
 36 qua juga Parnassi Castalis unda rigat.  
 37 Te, veneranda parens, sacrae finxere sorores  
 38 moribus egregiis, ingeniisque bonis ;  
 39 discereque arcana puerum docuere sub umbra,  
 40 Phoebe tuas artes, docta Minerva tuas.  
 41 Moxque Therapnaei sequeris praecepta Lycurgi,  
 42 et quae legiferi scripta Solonis habent :  
 43 sacrarumque hauris numerosa volumina legum,  
 44 atque homini quicquid fas didicisse fuit.  
 45 Inde petis celsae sublimia moenia Romae,  
 46 summus ubi est verae religionis apex,  
 47 ut tua jam virtus spatioso currere campo  
 48 posset, et officio notior esse suo.  
 49 Quae per lustra novem Romana clarus in urbe  
 50 gesseris, heroo sunt numeranda pede.  
 51 Haec cupiens, tenui nequeo deducere versu,  
 52 materia vires debilitante meas.  
 53 Nam tua tam magnis cumulata est gloria rebus,  
 54 ut foret ex ista mole gravatus Atlas.  
 55 Hinc tot Pontifices magnarum pondere rerum  
 56 commisere humeris iudicioque tuo.  
 57 Julius illaesam qui rexit in aequore cymbam,  
 58 et vigil a rabidis textit ovile lupis,  
 59 maxima quaeque suae fidei commisit agenda,  
 60 clarior ille armis, clarior ipse toga.



61 Te Leo magnanimus casus sociavit in omnes :  
62 una fides, et mens una duobus erat.  
63 Nunc freta sint vastis quamvis agitata procellis,  
64 fluctuet et tumidis naufraga puppis aquis ;  
65 auspiciis quaecumque tuis ductuque reguntur,  
66 successum optatum semper habere solent.  
67 Non ego si centum moveam sub pectore fibras  
68 et totidem linguas, totque per ora sonos,  
69 promere tantarum valeam praeconia laudum,  
70 quae jam bis septem lustra tulere tibi.  
71 Aequora quot fluctus, quot volvit litus arenas,  
72 Gargara quot segetes, quot gerit Hybla favos ;  
73 virtutum tot clara nitent monumenta tuarum,  
74 digna vel a tota posteritate legi.  
75 Jam te fama volans sublimibus extulit alis,  
76 protulit et toto nomen in orbe tuum ;  
77 qua Boream spectat sublimis ab aethere vertex,  
78 qua tepet Austriaci mollior aura poli ;  
79 quaque oriens dat signa dies : qua vespere sero  
80 lapsus in aequoreas praecipitatur aquas.  
81 Te Brito, te Cimber, Morinus te observat et Anglus,  
82 Belgaque : te totus Gallicus axis amat :  
83 Cantaber, et latis audax Hispania terris :  
84 te Lusitani, Celtiberique colunt :  
85 et Siculi, Sardique et Corsica grata Lyaeo ;  
86 quicquid et Aegei protulit unda maris :  
87 Ionique colunt, et litora cognita Muis,  
88 qua sacer Alcaeus, Sapphoque blanda fuit.  
89 Te celebrat miro rex Ferdinandus honore,  
90 ingenio clarus, belligeraque manu :  
91 quem modo sepositis animosa Boemia terris,  
92 constituit regem : Pannonique truces.  
93 Ad te quisque frequens ex toto confluit orbe,  
94 et responsa sacro numine plena refert.  
95 Finibus Arctois positi venere Poloni :  
96 missus Hyperboreo Moscus ab axe venit :  
97 Hibernique, Scotique, et seris Gadibus orti,  
98 et quos praeterea longa referre mora est.  
99 O lux, o nostro decus admirabile saeclo,  
100 qui veteres prisca laude reducis avos.  
101 Justitiae cultor, rigidi servator honesti,  
102 integer et pura simplicitate nitens.  
103 In commune bonus, pietate insignis, et a quo  
104 optatam frustra nemo rogavit opem.  
105 Erigis afflictos et iniqua sorte jacentes,  
106 ac facili timidas suscipis aure preces.  
107 Publica dum curas, lapso dum prospicis orbi,  
108 nocte cares somno, luce quiete cares.  
109 Consulis in medium populo, cunctosque mereris  
110 officiis homines, religione Deum.  
111 Quo raperis, tantoque audes te credere ponto ?  
112 Siste iter et coepti contrahe vela tui.  
113 Mollia Pegasides vestro date sarta Poetae :  
114 fausta dies laetis est modulanda sonis.  
115 Haec lux Augusti celebres quae dividit Idus,  
116 prima fuit vitae, Praesul amice, tuae.

117       Hac tu, Laurenti, curarum mole solutus,  
 118           et genio et ludo deliciisque vaces.  
 119       Otia grata juvant : major post otia virtus  
 120           esse solet : luxu mens recreata viget.  
 121       Non moveant te, magne Pater, dispendia rerum,  
 122           nec tua funestus contrahat ora dolor,  
 123       Itala quod tellus odiis civilibus acta,  
 124           hostibus heu jaceat praeda pudenda suis.  
 125       Nam jam laeta redit vultu fortuna secundo,  
 126           jam remeat pulsa nube serena dies :  
 127       quaeque procelloso nunc fluctuat aequore puppis,  
 128           ducet inoffensas per vada tuta vias.  
 129       Non agit aequales semper vaga Cynthia currus,  
 130           nec sol est rapidis semper anhelus equis.  
 131       Scilicet incerto variat sors omnia casu ;  
 132           quaeque cadunt surgent, quae valere, ruunt.  
 133       Omnia vertuntur, rapidum rotat omnia tempus,  
 134           mundus et alternas fertque refertque vices.  
 135       Summus saepe locus causa est manifesta ruinae :  
 136           altius ut surgant saepe ruina facit.  
 137       Hanc natura parens stabili tulit ordine legem ;  
 138           aeternum in terris possit ut esse nihil.  
 139       Quae jam lapsa vides, fato meliore resurgent,  
 140           tanget et excelso vertice Roma Deos.  
 141       O quater, o quoties non est numerare beatum,  
 142           cui poterit vitae longior ire dies !  
 143       Prisca renascentur generoso saecla metallo,  
 144           et senio posito jam novus orbis erit.  
 145       Sic renovat veteres ales Gangetica nidos,  
 146           quae perit, ut vivat morte refecta sua.  
 147       Livor edax, odii rabies, discordia demens,  
 148           atque simultatum semina cuncta cadent.  
 149       Candida pax procerum socialia foedera nectet,  
 150           candida pax populos ad sua jura trahet.  
 151       Victrices aquilas, et lilia juncta videbis,  
 152           sancta salutiferae tollere signa crucis,  
 153       et mausolaei pia quaerere templa sepulchri,  
 154           sacraque barbaricas non bene passa manus.  
 155       Turca ferox nectenda dabit sua colla capistro,  
 156           atque Borysthenio Tartarus orbe nocens.  
 157       Tu quoque Teutonicis dabis ora cremenda favillis,  
 158           heu miser a turpi dicte Luthere luto.  
 159       Occidet extincto Mahometica secta furore,  
 160           quicquid et impurae religionis erat.  
 161       Tunc belli finis requiesque optata laborum,  
 162           adversique nihil, quod vereamur, erit.  
 163       Gloria Pontifici, cui dat clementia nomen,  
 164           crescet, et eximium surget ad astra decus.  
 165       Justitia aethereas tandem delapsa per auras  
 166           pollutam nulla labe reviset humum.  
 167       Non acies, non vallus erit, non arma, nec hostis :  
 168           non tuba, non litui martia signa canent.  
 169       Eia igitur jam sume animum, jam porrige frontem,  
 170           Laurenti, atque alacer ad tua festa veni.  
 171       Alite felici lux haec genialis agatur,  
 172           natalemque tuum lactea gemma notet.

173 Puccia progenies serie numerosa nepotum  
174 in laudes solvant ora diserta tuas.  
175 Non lyra, non citharae graciles, non tibia desit,  
176 non Aganippe dulcia plectra chori.  
177 Costum molle fluat, passim spargatur amomum,  
178 dentur odoratis thura Sabaea focus.  
179 Sparge merum pateraue Deo libemus ovantes,  
180 quo ritu veteres instituistis avi.  
181 Ipse tuos adsit Genius visurus honores,  
182 incassum nostras nec sinat ire preces.  
183 Ore favente omnes, et verba faventia sacris  
184 dicite : praesenti fundite vota Deo.  
185 Transeat hic sine nube dies, stent aequore venti,  
186 ponat et in sicco leniter unda minas.  
187 Blanda cohors volucrum demulceat aethera cantu ;  
188 sitque repercusso dulcior aura melo.  
189 In numerum faunisque canant satyrique bicornes,  
190 dulce sonet liquidis candida Nais aquis.  
191 Orpheus auritas ducat modulamine silvas,  
192 delphin Arionio carmine laetus eat.  
193 Cum canibus lepores ludant, cum tigride damae,  
194 cumque lupo jungat mollior agna latus.  
195 Antra feris plaudant, plaudant et piscibus undae,  
196 laetitiam prodant cuncta elementa suam.  
197 Tartara non ullos moveant hac luce dolores :  
198 stent vada Cocyti, stent Phlegethontis aquae.  
199 Non fera Tisiphone pectat pro crinibus angues,  
200 nec triplici latret Cerberus ore nocens.  
201 Dolia non fallant Danaas, non vultur anhelet,  
202 non rota, non scopuli, non sitis inter aquas.  
203 Cuncta renascentem testentur gaudia lucem,  
204 natalemque tuum sidera laeta probent.  
205 Blanda Venus, gemini fratres, Astraetaeque virgo,  
206 Atlantisque nepos cum Jove signa ferant.  
207 Tempora tranquillo radiant distincta sereno,  
208 totus ut innocuo sidere mensis eat.  
209 Mensis ab Augusti qui ducis nomine nomen,  
210 comprime letiferi noxia signa canis.  
211 Cum sol Herculei premat horrida terga Leonis,  
212 certa salus, Bacchi rore levare sitim.  
213 Sic, Francisce, jubes, patriae pietatis imago,  
214 quo nemo te medica clarior arte fuit.  
215 Ferrea clavigeri solvantur vincula Petri,  
216 solaque sit nimio lingua ligata mero.  
217 Sit Fescennino permissa licentia luxu,  
218 totaque festivis obstrepet aula jocis.  
219 Tu blandum paeana cane, Pretine, Lyaeo,  
220 ut det laetitiae libera verba meae.  
221 Bacche veni, plenoque adsit bona copia cornu,  
222 et jocus, et risus, et bene gratus amor.  
223 Phoebus amat Bacchum, sint munera juncta duorum :  
224 ex hedera et lauro texta corona juvat.  
225 Ex hedera et lauro, Laurenti, tempora cingam :  
226 quisque suis nectat laurea sarta comis.  
227 Et dulces agitet cantus, agitetque choreas,  
228 qua fluit irriguo fonte perennis aqua.

229 Tolle tuum, Pinguis, maerorem : funera patris  
 230 quid fles ? Uxoribus cura gerenda tibi est.  
 231 Collusor tu, Come, meus convivium large  
 232 instrue : sit lauta mensa referta dape.  
 233 Cortis avis, turdique juvant, Paphiaequae columbae,  
 234 et qui de Colcha Phasidae nomen habent.  
 235 Et quas ficus alit, vel dulcibus uva racemis,  
 236 molliculusque canis raptus ab ore lepus.  
 237 Blonde, jocos nugasque feras ridendaque profer  
 238 scommata : nunc scurram te decet esse bonum.  
 239 Rideat et patulo meus Ambrosinus hiatu,  
 240 porrigat et laeta nigra Falerna manu.  
 241 Ambrosine, decem cyathos festive ministra,  
 242 Laurenti ut quisquis nomina cara bibat.  
 243 Quisque bibat, vinoque calens ad pocula laetus,  
 244 quattuor hos versus ore patente canat :  
 245 floreat in longum felix Laurentius aevum,  
 246 et superet Pyliae saecula trina senis.  
 247 Florentina manus, rebus studiosa novandis  
 248 huic post Clementem proxima dona ferat.  
 249 Eveniet : dat signa Deus : sunt omina vati :  
 250 auguriumque bonum dextera fecit avis.  
 251 At tu laeta dies multos celebranda per annos,  
 252 candidior semper, candidiorque redi.

AD GUILLERMUM DE RUPE FORTI

C\_5 v.1 Docte Maroneo Guillerme canende cothurno !  
 2 Qui tibi de forti nomina rupe trahis ;  
 3 jam Thebana satis, satis et civilia noscis  
 4 bella ! Cothurnati pone Maronis opus.  
 5 Aspice nunc Balbi nova carmina, carmina nobis  
 6 imparibus dictat vecta Thalia rotis.  
 7 Mox graviore lyra (veniat modo senior aetas)  
 8 cantabo heroo bella cruenta pede.  
 9 Carminibus regum celebrantur facta, ducumque ;  
 10 carmen amat, quisquis carmine digna facit.  
 11 Gaudet Tuscus eques Flacco, Caesarque Marone ;  
 12 tu mihi Tuscus eques, tu mihi Caesar eris.

AD PETRUM DANDOLUM

C\_6 v.1 Cum mihi sis Pylades, cum sim tibi fidus Orestes,  
 2 cur ego disparili condicione fruor ?  
 3 Sunt tibi Cadmaeo bis tinctae murice vestes ;  
 4 est vestis nigro tincta colore mihi.  
 5 Venit Erythraeis tibi gemma petita sub undis ;  
 6 at premit articulos vitrea gemma meos.  
 7 Sunt tibi Dardaniis radiantia tecta columnis ;  
 8 est casa, quae casus indicat, una mihi.  
 9 Sunt tibi priscorum numerosa volumina vatum ;  
 10 est mihi pro cunctis : nux ego juncta viae.

11 Ostrea te replent, non cepa et sectile porrum ;  
 12 tu famulos pascis, vix ego pasco canem.  
 13 Si mihi vis Pylades, si vis, sim fidus Orestes,  
 14 vel pauper fias, vel dato 'kina philon'.

#### IN PAULUM ASTROLOGUM

C\_7 v.1 Noscit ephemeridas, Circeaque carmina Paulus  
 2 stelligeræ noscit sidera clara domus.  
 3 Tympana quid Cybeles, numen quid portet Anubis,  
 4 linigeræque tenet candida sacra bovis.  
 5 Pullorum quid fibra velit, quæ monstret Osiris  
 6 somnia, quid volucrum turba canora ferat ;  
 7 sidera cum teneat, secretaque noscat Olympi,  
 8 ante pedes quod habet, non tamen iste videt.

#### DE HOROLOGIO

C\_8 v.1 Ut tacite assiduis labuntur cursibus horæ,  
 2 sic fugit aligero vita caduca pede.

#### AD ANTONIUM MAURUM

C\_9 v.1 Quid geminas una quaeris sub nocte puellas ?  
 2 Quæ jungant placidis basia mille jocis.  
 3 Dulcia quæ figant certantibus oscula linguis,  
 4 et pariter surdum murmur utrumque sonet ;  
 5 jungaturque femur femori, meliora requiras !  
 6 Quid facies, cum sit mentula nulla tibi ?

#### AD PETRUM DANDOLUM

C\_10 v.1 Prandia, cena, sopor nostrum disjungit amorem !  
 2 Ite et abite a me prandia, cena, sopor !  
 3 Prandia, cena sopor mortalia corpora nutrit ;  
 4 nos alit unus amor, nos alit una fides.

#### AD IULIAM DE HYEME

C\_11 v.1 Frigidus aethereas jam spargit Aquarius undas,  
 2 et Leo stagna petit.  
 3 Jam glacialis hiems rapidis circumdata ventis  
 4 frigore nectit aquas.  
 5 Non solito rutilant gemmantia signa nitore,  
 6 nec vaga luna micat.  
 7 Fusca nec albentes pingunt violaria campos,  
 8 sub nive terra latet.  
 9 Garrula torpet avis, concretis clausa sub undis

10                   squammea turba latet.  
 11 Praescia complevit tenuis formica latebras,  
 12                   gaudet apisque favo.  
 13 Non solitas complet maerens Philomela querelas,  
 14                   flet neque mater Itym.  
 15 Pro Zephiris gelidus Boreas et nubilus Auster  
 16                   regnat, et Eurus atrox.  
 17 Vernali gelidae veniunt pro rore pruinae,  
 18                   Sithoniaeque nives.  
 19 Scilicet alternis mutantur singula rebus !  
 20                   Omnia sors variat.  
 21 Et tamen aligeri taedis incendor amoris,  
 22                   nec dat amor requiem.  
 23 Sed magis atque magis miserum comburit amantem  
 24                   durus et asper amor.  
 25 Qui genus omne cupit poenarum scire, sequetur  
 26                   castra, Cupido, tua.  
 27 Julia, non solito vernantia prata colore,  
 28                   nec micat herba comis.  
 29 Non violae molles, non alba ligustra virescunt,  
 30                   purpureaeve rosae.  
 31 Sic tua forma decens longo vitiabitur aevo,  
 32                   quae cito lapsa fluit.  
 33 Hora fugit volucris, celeri pede labitur aetas,  
 34                   lapsaque non remeat.  
 35 Quique hodie tanto laetatur honore superbus,  
 36                   cras erit ille nihil.  
 37 Nunc gaudes primo florentis vere juventae  
 38                   utere Vere tuo.  
 39 Et dum fata sinunt, fugientibus utere donis,  
 40                   quae revocare nequis.  
 41 Collige virgo rosam, quae si non tacta peribit,  
 42                   sola relicta gemes.

## AD RIPAM PRAECEPTOREM

C\_12    v.1    Aude hospes, contemnere opes, mihi candide vates,  
           2        ingredior quotiens parvula tecta, refers.  
           3        Non peto Messalae Licini nec marmora, nobis  
           4        sed tua Castalias Ripa ministret aquas,  
           5        Ripa Camenarum nimium fecunda mearum,  
           6        Ripa Medusaei plena liquoris equi.  
           7        Atria non dominum Phrygiis effulta columnis,  
           8        sed dominus tectum nobilitare solet.

## AD PETRUM IUSTINIANUM

C\_13    v.1    Durus es, et duris cognomen moribus aequas,  
           2        durus es, et duris durior arboribus.  
           3        Durus es, et duras superas feritate leaenas,  
           4        durus es, et duro pectore marmor inest.  
           5        Durior es platano, nodosa durior ulmo,

6 durior es saxis, durior es chalybe.  
 7 Quidquid ais, durum est, quicquid facis, omnia dure,  
 8 dure puer, duro durior aere puer.

## AD FRANCISCAM CICONIAM

C\_14 v.1 Candida sublimi crepitare Ciconia nido  
 2 sueta, mihi quales nunc dedit ore sonos !  
 3 Illa sitim siccis haerentem faucibus ire  
 4 jussit, et e nostro depulit ore famem.  
 5 Judice me, nusquam cantator funeris atri  
 6 dulcius effundit gutture carmen Olor.  
 7 Orphea jam Thraces, sileantque Amphiona Thebae,  
 8 nobile si carmen garrula dictat avis.

## DE VICTORE BLANCO

C\_15 v.1 Aspice, qui lento metitur compita passu,  
 2 et tumidus recto vertice reddit ave,  
 3 cujus hyperboreo fulget gravis arca metallo,  
 4 et Lacedaemonio de grege lana rubet.  
 5 Hic modo Codrus erat, cepit curare Cinaedos,  
 6 o genus aucupii ! Ditior ille Mida est !

## AD IULIAM

C\_16 v.1 Alba manus, flavi crines, argentea cervix,  
 2 siderei vultus, lactea colla, pudor,  
 3 efficiunt, ut te caelo rear esse creatam,  
 4 nam talis nullo tempore forma fuit.  
 5 Indomiti mores, damnosa superbia, fastus,  
 6 atroces vultus, saxea corda, rigor ;  
 7 efficiunt, ut te terris rear esse creatam,  
 8 saevitia Superi namque carere solent.  
 9 Quam male commisit natura injusta, dedisset  
 10 ni tibi saevitiam, diva beata fores.

## AD PONTICUM DE MORTE MARCI

C\_17 v.1 Pontice, quam variis mutantur singula rebus,  
 2 quam properat volucris vita citata gradu ?  
 3 Nil homini tutum est, rapida mors invida falce  
 4 imminet, et nigris nigra triumphat equis.  
 5 Occidit ecce novo viridantis flore juventae  
 6 Marcus Arioniae gloria prima lyrae.  
 7 Sic rota sortis erat, quid rumpis questibus auras !  
 8 Frangitur (heu) nulla torva Megaera prece.  
 9 Exue jam tetricos vultu meliore dolores ;

10           namque premit miseros, non levat ipse dolor.

AD NICOLAUM BEMBON

C\_18    v.1    Desine velle meum jam sollicitare pudorem,  
           2        non ego sum volucris praeda, sed Hippolytus.  
           3        Castra pharetrigerae sequor inviolata Dianae,  
           4        aligeri sperno tela nefanda ducis.  
           5        Tu quoque spinosas Veneris modo desere curas,  
           6        et cole virginei nomina clara gregis.  
           7        At dices : durum est, placido non cedere amori,  
           8        ille feras, homines, subjugat ille Deos.  
           9        Hoc durum est, fateor, sed tendit ad ardua virtus,  
          10        dura petat laudis praemia, quisquis amat.

AD PONTICUM

C\_19    v.1    Est, quicumque cupit, congesto pauper in auro ;  
           2        vis fieri dives, Pontice, nil cupias.

AD FRANCISCUM QUIRINUM. ELEGIA

C\_20    v.1    Liber eram, et superas meditabar scandere sedes,  
           2        naturaeque vias discere cura fuit.  
           3        Qui Deus, unde ignis, fulmen quae ducat origo ?  
           4        Menstrua cur versis luna laboret equis.  
           5        Concutiat trepidae quis motus viscera terrae ?  
           6        Curve adimat pluvias imbrifer Eurus aquas.  
           7        Risit Amor, geminasque legens, quibus utitur, alas  
           8        imposito pressit libera colla pede.  
           9        Donec me longos jussit tolerare labores,  
          10        est mihi parsque suae credita militiae.  
          11        Uror ut Assyrio volucris Phoebeya nido ?  
          12        Uror io ! Cantu saga repelle faces.  
          13        Cantus liventis deducit cornua Phoebes ;  
          14        cantus et hiberno provocat orbe rosas.  
          15        Tu potes et fractis manes revocare sepulchris ;  
          16        tu potes et rapidi sistere solis equos.  
          17        Heu nil saga valet, torto nec carmina bombo ;  
          18        sanus amor medicae negligit artis opes.  
          19        Nec si Daedalea fugias, tibi proderit, arte,  
          20        ala nihil Persei, Triptolemive rota.  
          21        Nam licet ad Tanain rapidumve veharis Hydaspem,  
          22        ad Tanain volitans usque feretur amor.  
          23        Ast ubi sum gratus volitantis miles amoris,  
          24        et meus hoc campo sudet, oportet, equus ;  
          25        non vaga pennatae quaeram praeconia laudis ;  
          26        laus magna est, si me, docte Quirine, probes.  
          27        Culta Sophocleo tibi proluit ora liquore,  
          28        Aoniamque dedit pulcher Apollo lyram.



29 Te natura parens vires effudit in unum,  
 30 et posuit, pulchri quidquid in orbe fuit.  
 31 Cinge caput mitra, vultus fulgebit Iacchi,  
 32 sit modo juncta comis laurea, Phoebus eris.  
 33 Phryx puer Idaeo tutus lusisset in agro,  
 34 si foret hic prisca tempore natus avi.  
 35 Quem Dea pro Cephalo curru vexisset eburno,  
 36 candida dum croceis astra colorat equis.  
 37 Hunc videat lapsum, non flebit Cypris Adonem !  
 38 Cymodoce et raptum glauca remittet Hylan.  
 39 Heu fuge Nympharum solitas mea vita rapinas ;  
 40 non minor Ausonias Naidas ignis habet.  
 41 Te Venus Adriaco tenui fovet aequore concha,  
 42 saxeus est, Patavi quisquis in urbe manet.  
 43 Quam bene Saturno finxerunt saecula rege,  
 44 cum fuit in nullas terra resecta vias.  
 45 Illo non fragili vexit rate tempore merces  
 46 navita contempto per freta longa mari.  
 47 Nondum pigra tulit pastor sub aratra juvencos,  
 48 nec madido pressit pinguis musta pede.  
 49 Sponte sua fruges tellus inculta ferebat,  
 50 sponte sua quercus dulcia mella dabat.  
 51 Non acies, non ira fuit, non arma nec hostis ;  
 52 silva domos, mensas glans dabat, herba torum.  
 53 Tunc aliquis blandos violis mercatus amores,  
 54 sub patulis Venerem junxerat ilicibus.  
 55 Nunc nisi grande feras munus ; riget aerea postis,  
 56 janitor arenti nec canis ore tacet.  
 57 Quid juvat Eois digitos onerare lapillis ?  
 58 Nuda Venus nuda est conspicienda manu.  
 59 Illa odit tinctam falso candore puellam ;  
 60 emptus cui Tyrio rore capillus olet.  
 61 Non meus externo foedat puer ora nitore,  
 62 egregias tarda nec colit arte comas.  
 63 Illi forma viget nullis fucata venenis,  
 64 natus vero fulget in ore color.  
 65 Quale rubet flavis uxor Tithona quadrigis,  
 66 et conspecta novo casta puella viro.  
 67 Non ego caeruleum vereor mare scindere, tecum  
 68 dummodo sim, nullis me nego verberibus.  
 69 Nec comes ire nego, gelidus licet urgeat Auster,  
 70 et ruat Arctoo Parrhasis ursa polo.  
 71 Non grave me tempus, surgensve moratur Orion,  
 72 sparsave concreto pigrior unda gelu.  
 73 Ferre famem, tolerare vias, contemnere somnos,  
 74 sub Jove lenta pati frigora, jussit amor.  
 75 Ille favet, seu quis dominae fera claustra relaxet,  
 76 laurea seu junctis sarta ferat manibus.  
 77 Sive quis in tenebris dubios petat anxius ignes,  
 78 tunc Venus ardentes ventilat ipsa faces.  
 79 Quid sine amore juvat Phrygiis toga picta lapillis,  
 80 aut quid hyperborei pondera fulva soli.  
 81 Nam neque tunc vario fulgens textura colore,  
 82 nec prodest Arabae dives odor segetis.  
 83 Ha miser adverso quicumque quiescit amore,  
 84 et trahit in vacuo somnia longa toro !

85 O quantum est, somnos potius contemnere inertes,  
 86 perdere quam blandae gaudia nequitiae.  
 87 Quam juvat, insertis luctantia basia linguis,  
 88 collaque lascivo figere dente notis.  
 89 Sive ruat gelidis hibernus flatibus Auster,  
 90 garrula seu verna fronde queratur avis.  
 91 Haec mihi contingant, alius sibi comparet aurum,  
 92 et legat Eois dona sub aequoribus.  
 93 Dum facies vernat, teneros ludamus amores,  
 94 forma volat celeri non reditura pede.  
 95 Quam cito deperdit graciles coma Punica odores,  
 96 et rosa languenti deseritur folio ;  
 97 tam cito grata fugit tenerae lanuginis aetas  
 98 jam veniet baculo fula senecta rudi.  
 99 Interea positis stillent unguenta corollis,  
 100 pinguis Sidonio vina fluant calice.  
 101 Vino gemmatas sitiens puer abluit alas,  
 102 saepe tamen multo fit medicina mero.  
 103 Bacche potes Veneris spinosas solvere curas,  
 104 diluiturque tuo munere victus amor.  
 105 Ne tamen arma neget pueri sensisse medullis,  
 106 testis erit curru vecta Ariadna tuo.  
 107 Ergo veni, et potos irriteret thyrsus amores !  
 108 Pendeat e nitido vitis iners capite.  
 109 En cano, quae molli ducens convivium luxu,  
 110 imposito signet ebria turba mero.  
 111 Sive aliquis Tyrio fulget sublimis amictu,  
 112 tingitur e Tyrio pagina nostra croco.  
 113 Sive vagi crines per eburnea colla refulgent,  
 114 laudat honoratas blanda Thalia comas.  
 115 Huc ades intonso petulans Elegia capillo,  
 116 blanditias claudis dictat amor pedibus.  
 117 Ille canat Venetos spumosa per aequora fortes,  
 118 alter liligeri Martia castra ducis.  
 119 Me mea sors tenero voluit succumbere amori,  
 120 bella canant alii Martis, Amoris ego.

## DE IULIA

C\_21 v.1 Laetor io flos o pulcherrime, laetor io flos !  
 2 Poma tuli dominae lactea, laetor io !  
 3 Laetor io ! Tetigi cristalla, ligustra nivesque  
 4 Cypris aves (et ebur) lilia, laetor io !  
 5 Laetor io ! Alcides tulit aurea mala Draconis,  
 6 mala tuli dominae candida, laetor io !  
 7 Laetor io ! Madeant Cretaeo pocula Baccho,  
 8 cinganturque rosis tempora : laetor io !  
 9 Laetor io ! Flos o pulcherrime, laetor io flos !  
 10 Exsuldo, júbilo, gaudeo, laetor io !

## DE SE

C\_22 v.1 Me pharetratus amor, pannosaque cogit egestas,  
2 quos cupit haec, demens negligit alter opes.

## AD LUDOVICUM

C\_23 v.1 De Musis, Ludovice, tuis, de carmine, Ripa  
2 quid sentit, quanti, quaeris, et illa facit ?  
3 Commendat, laudat, poscit, miratur, adorat,  
4 estque illi ingenium semper in ore tuum.  
5 Ast ubi nostra legit, tamquam ludibria ridet,  
6 et similat naso Rhinoceronta suo.  
7 Non tamen his illi rebus succenseo, laudo haec,  
8 scripta legit gratis qualiacumque mea.

## AD AMOREM

C\_24 v.1 Sum tuus, et tua sum saevissime praeda Cupido !  
2 Et tamen in castris torqueor usque tuis.  
3 Incipiat propriis si Mars dare vulnera servis,  
4 exiguo Mavors tempore solus erit.  
5 Nec vis, ut moriar, nec vis me vivere, parco  
6 sed tibi, nam caecus nil nisi caeca facis.

## AD HIERONYMUM DE ONICO

C\_25 v.1 Mollia Castalio nunc ducimus otia fonte,  
2 et simul Aonio pellimus amne sitim.  
3 Est tenerae amborum moderator Ripa juventae,  
4 nos pariter sacro nomine turba vocat.  
5 Blanda tibi vox est, te lactea forma decora,  
6 blanda mihi vox est, claraque forma nitet.  
7 Magnus es, haud parvo me corpore fata crearunt,  
8 quae te progenuit, me quoque terra tulit.  
9 Quaeque manent eadem nobis, distamus ab uno,  
10 cum tu crudelis, quem sequor ipse, fugis.

## DE PAULO PISCATORE AD PONTICUM

C\_26 v.1 Cui neque lectus erat, nec mensa, nec arca, nec ignis,  
2 nec canis, aut cimex, nec cinis atque calix,  
3 vixque nates, mediosve tegebat, Pontice, lumbos  
4 textus Lingonica bardocucullus acu.  
5 Nunc tenet iliaticis fulgentia tecta columnis,  
6 et gravis innumeras sacculus arctat opes.  
7 Sardonychus Indos, adamantina, Scythaeque smaragdos  
8 myrrhina, dentis ebur, coccina marmor habet.

9 Unde habet haec, quaeris, dicat Rhamnusia, sola haec  
10 divitias nutu datque, rapitque suo.

DE DUOBUS AMANTIBUS

C\_27 v.1 Dum parat impubem praecidere Sextus Amyntam  
2 ambo petunt celeri conscia tecta gradu.  
3 Cernit Atis puerum, vexatur amore, monetam  
4 promittit, puerumque incipit olfacere.  
5 Hoc grave fert Sextus jactat fera jurgia, nudant  
6 corpora, pro puero bella nefanda gerunt.  
7 Vulnera scire cupis ? Praecidit brachia Sexto,  
8 praecidit puero labra cruentus Atis.

DE MARCO CAUSIDICO AVARO

C\_28 v.1 Causidicus centum tenuit sestertia Marcus,  
2 sed rapidas furum dum timet ille manus,  
3 insomnis longo ducebat murmure noctes  
4 anxius, et lapsas saepe timebat opes.  
5 Proh dolor ! Amisit centum sestertia Marcus,  
6 grandia verbosi dum petit arma fori.  
7 Nunc secure potes totas requiescere noctes ;  
8 perdere quod timeas, jam nihil arca tenet.

DE HIERONYMO ONICO

C\_29 v.1 Jam fleat omnis amans, pharetram depone Cupido,  
2 tristis et in pulla veste quiesce Venus.  
3 Deseris (heu) Patavos, formose Onice, penates !  
4 Cui Phrygius cedit Sangariusque puer.  
5 Mollis amor patrias tecum demigrat ad arces,  
6 canaque virginitas, purpureusque pudor.  
7 Adriacas ibis Zephyro spirante per undas  
8 velivolos pandet Calliopaea sinus.  
9 Captabis vitreo ludentes gurgite conchas,  
10 quas piscatorum fallere turba solet.  
11 Forsan Arionii reminiscens praemia piscis,  
12 tergora subjiciet squammea turba tibi.  
13 Atra dies nigro semper damnanda lapillo !  
14 Accipe non albae tristia signa notae.  
15 Euganeis lacrimas, suspiria linqvis in oris  
16 discedens, patriae gaudia festa geris.

AD CANDIDUM

C\_30 v.1 Thessalicas artes magico cum carmine nossem  
2 si miser, Aeaeta doctus et arte forem.

3 Ignea non traherem de caelo lumina picto ;  
 4 nec cantata suos linqueret unda sinus.  
 5 Corporis ipse tui fierem pars una sodalis,  
 6 Carpathiis jungens corpora bina sonis.  
 7 Haec mihi saepe refers ; refero tibi talia, nil est,  
 8 hoc non fit verbis, Candide, facta probent.

## AD LUCAM SEXTUM

C\_31 v.1 Sexte Camenarum celeberrime Castaliarum !  
 2 Candida qui clarae nomina lucis habes.  
 3 Aurea forma tibi, tibi contigit inclita virtus,  
 4 et facilis roseo qui micat ore nitor.  
 5 Est pudor, est tenero gravitas maturior aevo,  
 6 ingenium pueri nil puerile sapit.  
 7 Cresce igitur, crescet virtus crescentibus annis  
 8 non moritura, vorat cetera tempus edax.

## AD MARIANUM

C\_32 v.1 Versus, quos docto fudisti e pectore sollers,  
 2 quos merito quisquis tollere ad astra potest,  
 3 sordiduli fiunt, nec digni laude putantur,  
 4 plus tibi, quam satis est, si Mariane placent.

## DE CINAEDIS

C\_33 v.1 Jupiter Idaeo succumbere discat ephebo,  
 2 Amphitryoniados terreat inguen Hylas.  
 3 Parthenopi quoniam vultus puer ardet Amyntas,  
 4 praecisus decies ille vel ille quater.  
 5 Quid non fata rotant ? Miseros crudelis amantes  
 6 sprevisi, exemplo nunc negat ille tuo.  
 7 Vis tibi sarta feram, fugitivos carpere flores,  
 8 tu quoque si dederis, quod petis, accipies.

## AD PETRUM MAURUM

C\_34 v.1 Cum juvenum careant tenera lanugine malae,  
 2 barbula quid vultus occupat ista tuos ?  
 3 Si facis, ut rigidos secteris, Petre, Catones,  
 4 consilium laudo, Petre severe, tuum.  
 5 Si facis, ut molli placeas barbatus amicae,  
 6 barbatum spernet mollis amica virum.  
 7 Sed caveas, ne, cum tibi candida venerit uxor,  
 8 jungantur capiti cornua longa tuo.

## AD PAMPHYLUM DE SANCTIS

C\_35 v.1 Sanctus es, et sancti decorant te, Pamphyle, mores,  
 2 sancta avia, et pappus, sanctaque mater erat.  
 3 Est sanctus genitor, frater, sanctaeque sorores ;  
 4 inter tot sanctos te reor esse Jovem.

## R. GAGUINUS BALBO SALUTEM

C\_36 v.1 Balbe, quid incepto desistis ? Nonne parabas,  
 2 nescio quod crimen prodere versiculis ?  
 3 Audieram certe ignaro de rhetore carmen  
 4 lusurum, exspectat jam chorus ut recites.  
 5 Parce, precor, decimum Clio dormitet in annum,  
 6 clarius ut nostra tinniat aure lyra ?  
 7 Quidquid erit, perges, nostrates perdit ineptus  
 8 rhetor, et haerentes tardius ire docet.  
 9 Audistin monstrum praefarier, haeret ubique  
 10 testudo, citius promovet aegra casam.  
 11 Vah tamen hunc reputat Ciceronem ignara juvenus,  
 12 aestimat et vatem, quem Dea nulla fovet.  
 13 Perge, mone turbas aures avertere vati,  
 14 ex sturnis corvos qui facit et cuculos.

## AD ROBERTUM GAGUINUM

C\_37 v.1 Miratur geminos soles annosa vetustas,  
 2 et lunam Eois erubuisse modis.  
 3 Et lapides cecidisse polo, taurumque locutum,  
 4 tergeminumque virum semivirumque bovem.  
 5 Prisca fides taceat, viget ecce hoc tempore corvus,  
 6 ore rudi sturnos qui trahit et cuculos.  
 7 At jacet aetherias modulans philomela querelas,  
 8 psittacus Eoo missus ab orbe jacet.  
 9 Temporibus nostris docti spernuntur olores,  
 10 et si cui dentur praemia, corvus habet.

## DE NATALI SUO

C\_38 v.1 Laeta dies, albo quam vellere Parca secundet,  
 2 qua primum clari vidimus ora poli !  
 3 Laeta dies festis semper numeranda diebus,  
 4 laeta dies nivea non caritura nota !  
 5 Lucida fumoso madeant cristalla falerno,  
 6 flagret odoratis granea spica focus !  
 7 Dexter ades saeculi rector Saturne prioris,  
 8 cerne, tibi quantae luxurietur opes.  
 9 Fac quoque natalis genio sacrate December,  
 10 tempora felici currere nostra nota.

11 Junge rosas, pete vina, lyram cape, posce puellas,  
12 dum vivis, rapiet omnia mors properans.

AD HIERONYMUM DE ONICO

C\_39 v.1 Lux mundi, formose puer, cui culta nitet vox,  
2 vox Siculis permixta favis, tibi cedat amor Phryx,  
3 Phrix sacra raptus volucris, quem summus amat Rex,  
4 Rex hominum Divumque sator, te doctus amat grex,  
5 grex Dryadum te mollis amat, meque alta premit fax,  
6 fax oculus puer albe tuus, quo victa jacet lynx,  
7 lynx radiis certans Phoebeis, neu mihi sis trux,  
8 trux decet ira feras, sed ames, dum pulchra nitet frux,  
9 frux vultus formose tui, nam ut sparsa fluit nix,  
10 nix verno liquefacta polo, sic lapsa cadit nux,  
11 nux formae, celerique gradu simul atra ruit nex,  
12 nex quoque te rapiet, mundi nec semper eris lux.

DE AMORE

C\_40 v.1 Ut clavus clavum pellit, sic pellit amorem  
2 alter amor, veteres sic nova flamma faces.

AD FRANCISCUM QUIRINUM

C\_41 v.1 Musa jocosa mihi est, mihi vita jocosa, Quirine,  
2 dant quoque fatales fila jocosa Deae.  
3 Non Tartesiaco pectus mihi carpitur auro,  
4 nec peto Campani jugera mille soli.  
5 Sit mihi parva domus, nox ebria, fidus amicus,  
6 gratus ager, simplex et sine labe toga.  
7 Me cyathi, ludi, choreae, rosa, tympana, cantus,  
8 me Venus, et Bromius, me trahit alma Ceres.  
9 Quod Phlegetonteis remeet si Brutus ab undis  
10 clamabit : sic mors vivere nos docuit.

IN ZOILUM

C\_42 v.1 Zoile, quod teneri spectentur ubique poetae,  
2 dicis 'Femineos odit Apollo greges'.  
3 Falleris, haec ratio si, Zoile, vera maneret,  
4 jam tua carminibus scrinia plena forent.

AD CARDINALEM MANTUANUM

C\_43 v.1 Purpureo regale caput redimite galero,

2           quem genuit liquidis Mantua cincta vadis.  
 3       Fugerat hinc Phoebus, fluctuque latebat hiberno,  
 4           celarat vultus Memnonis alma parens,  
 5       eversa in terris nimbosus Aquarius urna  
 6           Deucalioneas praecipitabit aquas ;  
 7       Adriacam postquam venisti laetus ad urbem,  
 8           altera, quae nostro tempore Roma viget.  
 9       Phoebus adest, Aurora redit, mala nubila cedunt,  
 10           aspectusque facis cuncta serena tuo.  
 11       Quod si vera canunt vates, haec signa parare  
 12           praedicunt culmen pontificale tibi.

## IN PAMPHILUM

C\_44    v.1     Dat paediconi natus, sed Pamphile natus  
           2        dat tibi plura, negas ? Testibus ista patent.

## IN PAULUM PISCATOREM

C\_45    v.1     Pauper eras (memini) Veneta piscator in urbe,  
           2        nigraque ab Aethiopo stigmata ducis avo.  
           3        Sed vaga sors lusit, Pario colis atria muro  
           4        structa, et centenus jugera taurus arat.  
           5        Pone tamen rigidos fastus, nec sanguine natum  
           6        patricio, aut prisca nobilitate putes.  
           7        Sors dare regna potest, gemmasque et fulva metalli  
           8        pondera, vile genus nobilitare nequit.

## IN EUNDEM

C\_46    v.1     Paule, refers cepisse nova tua stemmata mundo,  
           2        cum fecit lunam Juppiter, arcus homo es.

## AD HIERONYMUM GEORGIUM VENETORUM ORATOREM

C\_47    v.1     Ut rutilat claro feralis crine cometes,  
           2        qui fera terribili nuntiat arma juba ;  
           3        sic tua fama viget nullo violabilis aevo,  
           4        fama Hyperionias praeteritura domos.  
           5        Gallia te novit, nec spernit Hibernia nomen  
           6        Hieronymi, fulvi nec freta Santonici.  
           7        Te semotus amat nostra tellure Britannus,  
           8        et posita Eoo litore Taprobane.  
           9        Quod si vera tulit Samius, foveat umbra Catonis,  
 10        vel tua Pellaei spiritus ossa ducis.



## AD LUCAM RIPAM

C\_48 v.1 Cum repeto tenues, censor facunde, libellos,  
 2 claudicat hic versus, syllaba nutat, ais.  
 3 Veridico tenerum sic corripis ore poetam,  
 4 et cerussata carmina nostra refers.  
 5 Deformes metuit jam Calliopea lituras,  
 6 odit et insulsos crassa Thalia jocos.  
 7 Nulla litura juvat, Phaetontis Musa calores  
 8 jam ferat, aut priscas Deucalionis aquas.

## IN HYPOCRITAM

C\_49 v.1 Pallidulo damnas cum pedicone cinaedos,  
 2 et quoscumque fero vulnere fixit amor.  
 3 Socraticus censor, rigidi de stirpe Catonis  
 4 sis velut, et Thraseae dogmata celsa colas.  
 5 Crassus avaritiam, civilia Julius arma  
 6 damnet, et Idaeus Pastor adulteria :  
 7 obrutus in vitium nullo non iudice cum sis,  
 8 quo bibis, haud decuit flumine sputa dare.  
 9 Labe prius careat, censet qui crimina, tuque  
 10 (si libuit) socios carpe, sed esto probus.

## IOANNES DE MONTE AD BALBUM

C\_50 v.1 Impia cum nostra quid habes tot proelia, Balbe !  
 2 Quid cum Ventidio bella pudenda geris,  
 3 hunc probat imbellem parvae patientia mentis :  
 4 vincula sponte petit, armaque ponit iners.  
 5 Non auferre sonos poteris, non tollere voces  
 6 ventosas, Terei vulnus inane facis.  
 7 Ille nisi anguiferae conspexerit ora Medusae,  
 8 semper inhumanos proferet ille sonos.  
 9 Proferat ille licet, furiantis somnia febris  
 10 evomat, Hippocratis vincula sola petit.

## AD DIVITES

C\_51 v.1 Quisquis es, auratos tribuit cui Lydia fontes,  
 2 cui Tagus Eoas pandit opacus aquas.  
 3 Dolia cui veterem spumant redolentia Bacchum,  
 4 Niliacoque nitet rure benigna Ceres.  
 5 Cui Ganymedeos tribuit sors laeta ministros,  
 6 et Massyleum virga gubernat equum.  
 7 Regna Deae metuas dubio pendentis in orbe,  
 8 cujus agit celerem ventus et unda rotam.  
 9 Quique Midam superas opibus Croesumque beatis,  
 10 pendula sors currum si rotet, Irus eris.

## AD FRANCISCUM

C\_52 v.1 Tanta tibi laus est inflati et gloria penis,  
 2 cedat ut Arcadii mentula tenta Dei.  
 3 Ille riget ferro, nodosa et durior ulmo,  
 4 ille hasta crescit longior Hectorea.  
 5 Ille suas agitans stillanti rore palaestras,  
 6 Penelopen Veneri mollit et Hypolitum.  
 7 In senium vergens custos membrosus agelli  
 8 te vocat ad partes pene rubente suas.  
 9 Sed, puto, respondes, quid vis pater optime ? Fures  
 10 non premere hoc telo, sed soleo elicere.

## IN INVIDUM

C\_53 v.1 Qui tumido jactas ventosa poemata cornu,  
 2 cinctaque Velano Syrmate Musa furit.  
 3 Exiguum, sed dulce sonans, quid livide carmen  
 4 inficis, et nostrum deprimis ingenium ?  
 5 Immodico crescat tibi vana cucurbita ventre,  
 6 mista fluant nostris Punica grana favis.  
 7 Tu scelus Oedipodis, nec prandia grata Thyestae,  
 8 et Phaethonteis orbita trita rotis ;  
 9 Lernaemque sonas fecundo corpore monstrum,  
 10 dum tua Lethaeo sparsa sit amne chelys.

## AD MURANUM PICTOREM

C\_54 v.1 Murani ! Latiae decus Thaliae,  
 2 et Pandioniae nitor Minervae !  
 3 Natura astrifero parens rotatu,  
 4 quod plaga creat aequinoctiali,  
 5 aut fecundo Hyperionis vapore,  
 6 tu dextra simulas potentiori.  
 7 Spumas edere tu maris ruentes,  
 8 Coam perficere et potes Dionem.  
 9 Sed vultus pueri decentioris  
 10 nobis nunc tenui exprimis tabella.  
 11 Altas ut volucris celer meatu  
 12 cum carpat teneri rosas decoris,  
 13 florescat viridi puer juventa,  
 14 huic cedant operi severiores  
 15 vultus Phidiaca manu politi,  
 16 victus Praxiteles, Scopasque Mentor,  
 17 Lysippus, Calais, Myron, Apelles  
 18 mirentur pueri decentioris  
 19 binas lampadas igneo micantes  
 20 vultu purpureis rosis decoro ;  
 21 sic mixtus tenui rubore candor,  
 22 sic vernos redolentia ora flores,

23 sic sparsi minio nitent capilli,  
 24 cernenti ut gracilis decus tabellae,  
 25 ignis molliculas edat medullas.

## DE EODEM

C\_55 v.1 Aethereis animas tantum dimittite ab astris  
 2 nam manus artificis cetera membra dabit.

## AD IOANNEM DE MONTE

C\_56 v.1 Mons Heliconiadum superas juga culta sororum,  
 2 quem colit Aonii turba beata chori.  
 3 Hic gaudet nitidus hedera crescente Lyaeus,  
 4 luxuriat patulis laurea virga comis.  
 5 Ut puto, jam dices, Phoebo felicior adsum ;  
 6 falleris, haud Phoebi gloria parta tibi est.  
 7 Ille suis vicit tumidum Pythona sagittis,  
 8 ausum Dircaeos contemerare lacus.  
 9 Nunc quoque Pierias Mato lividus inficit undas,  
 10 hunc tu si poteris vincere, Phoebus eris.

## AD PAULUM

C\_57 v.1 Carmina nostra probas, solvam te legibus aequis,  
 2 nil nisi verba refers, nil nisi verba dabo.  
 3 Me donis donas ; contra quae munera mittam ?  
 4 Heu fortuna meas nubila pressit opes.  
 5 Carmina quid reddam Musarum et Apollinis expers ?  
 6 Non bene pro magno munere verba damus.  
 7 Ergo animum dono, gemmas qui vincit et aurum,  
 8 semina sic duplici fenore reddet ager.  
 9 Nam sors regna potest fulvique auferre metalli  
 10 pondera ; sors animum, Paule, movere nequit.

## AD DUCEM HERCULEM ESTENSEM

C\_58 v.1 Si dura hircino cedunt adamanta cruori,  
 2 non adamanteo casside tutus eris.  
 3 Moenia jam cerno Veneto ruitura duello,  
 4 torvus arenosis quae Padus ambit aquis.  
 5 Nam quot habet flores vernantia prata, tot hircos  
 6 urbs tenet Adriacis aedificata vadis.

## DE PETRA PUELLA

C\_59 v.1 O manus, o crines, o colla, o lactea cervix,  
 2 o oculi aetherea sidera bina domus !  
 3 O vox, o mores sine rusticitate pudici !  
 4 O frons, o primis aemula labra rosis !  
 5 Perditis heu miserum, periturum cernite amantem,  
 6 cernite me, morior ; cernite me morior.  
 7 Heu morior ! Pulla cingatur veste cadaver !  
 8 Et referant tales marmora scripta sonos :  
 9 hic jacet exstinctus teneris Hieronymus annis,  
 10 durae causa fuit aspera Petra necis.

## EPITAPHIUM PHILELPHI

C\_60 v.1 Itala Cecropiae Pallas conjuncta Minervae  
 2 et stetit et cecidit morte, Philelphe, tua.

## AD LENTUM

C\_61 v.1 Omnia solus habes, tu grammata solus, et artem  
 2 rhetoricam, solus verba Latina tenes.  
 3 Et solus noscis dubiosa aenigmata Persi.  
 4 Parva loquor, solus omnia, Lente, sapis.  
 5 Esse Deum monstras sub trino corpore solum ;  
 6 quae sint, quae fuerint, quaeque futura, tenes.  
 7 Solus habes famam, praeclaraque nomina solus,  
 8 ingenium solus, cor quoque solus habes.  
 9 Omnia cum solus teneas, pallentia solus  
 10 regna petas, solus quaeque sinistra feras.

## AD LUCAM RIPAM

C\_62 v.1 Desine divitias natis cumulare superbas,  
 2 divitiae parvo tempore namque fluunt.  
 3 Non ita praecipites alterno vortice cymbas  
 4 versat arenoso Scylla proterva mari.  
 5 Nec sic incertis agitantur fluctibus undae,  
 6 ut sors instabiles impia versat opes.  
 7 Munera nulla valent natis majora parentes  
 8 linquere, quam laudis nomina clara suae.

## AD SCIPIONEM

C\_63 v.1 Stemmata quid patris, vultus quid tollis avorum,  
 2 haec domus Arcadicum sit licet ante genus.  
 3 Nobilitas virtus vera est, haec sola beatos  
 4 post cineres reddit, cetera mortis erunt.

5 Plus patet omne scelus, quanto generosior ille est,  
6 qui peccat ; tibi laus jam nocet ; ergo tace.

DE OCULIS IULIAE

C\_64 v.1 Dicite, cui vestrum superi sua lumina desint ?  
2 Surripuit Divis lumina noster amor.  
3 Qualia non tenuit quondam Junonius ales,  
4 nec Ganymedeia talia fronte micant.  
5 Hinc movet arma Venus, languentesque excitat ignes,  
6 spicula quae hinc acuit, hic volat acer amor.  
7 Nil mirere, caret caecus si luce Cupido,  
8 lumina donavit, cara puella, tibi.

AD EANDEM

C\_65 v.1 Attrahit ut ferri magnetica gemma rigorem,  
2 luminibus praeceps sic trahor ipse tuis.

AD TARDIVUM

C\_66 v.1 Imposuit quicumque tibi cognomina Tarde !  
2 Nomen Amazonio condidit ille viro.  
3 Hippolyto nomen sic impia fata dederunt,  
4 quod fuerat propriis dilaniandus equis.  
5 Nomina sic misero tibi Protesilaea fuerunt,  
6 victima cum Phrygiis prima futurus eras.  
7 Sic tibi dant Superi Tardi cognomina, quum sis  
8 tardus et ingenio, tardus et eloquio.

AD LAURENTIUM DANDOLUM AEGROTANTEM

C\_67 v.1 Nox erat, et pigras somnus diffuderat alas,  
2 claraque roranti luna nitebat equo.  
3 Cum mihi visus eram Parnassi scandere collem,  
4 sidera qui gemino vertice celsa petit.  
5 Hinc tibi, Bacche pater, rauco sonat aere Cithaeron,  
6 hinc Helicon claro pectine, Phoebe, tibi.  
7 Labitur in medio vitreis fons lacteus undis,  
8 Bellerophontaei fons pede natus equi,  
9 campus, ubi aeterni fulget nova gratia veris,  
10 circuit et sparsis terra benigna comis.  
11 Hic crepitans lenes mollit Favonius auras,  
12 et leve frondoso vertice cantat avis ;  
13 concors Eoa ludit cum tigride dama,  
14 mollior et placido jungitur agna lupo.  
15 Sanguineo splendore rosas, rubigine tinctas  
16 fert violas ; solo culta seges Zephyro.  
17 Hic casiae molles, et olentis vimen achanti,

18 flebilibusque rubes maeste hyacinthe notis.  
 19 Hic micat Assyrio, floret quod gramine, quodque  
 20 dives odorato cardine servat Arabs.  
 21 Quidquid ab Eois pinus vehit Itala, quicquid  
 22 unica vivaci perdit avis tumulo.  
 23 Haec generosa sacri sortiti rura poetae,  
 24 lenia gramineo caespite membra foveat.  
 25 In medio Phrygiis domus est effulta columnis,  
 26 clausa adamanteo valva riget chalybe.  
 27 Limina beryllo cum et iaspide lubrica surgunt,  
 28 florus onyxque micat Iliacusque silex.  
 29 Calcaturque solo magnetica gemma nitenti,  
 30 venaque caeruleis concolor albet aquis.  
 31 Ingredior Paphii manibus fabricata mariti  
 32 culmina, iudicio semper amanda meo.  
 33 Stabat inornatis maerens Elegia capillis,  
 34 pallebat claudis vecta Thalia rotis.  
 35 Nec minus est confusa sacrae dux ipsa cohortis,  
 36 quam celer Odrysiam dum vehis Hebre lyram.  
 37 Obstupui, ut presso trepidans pavet angue viator,  
 38 et dubios fudi voce tremente sonos.  
 39 Quippe Dionaeo Titon gemis ustus ahenis,  
 40 quique aliis curas vulnera, vulnus habes.  
 41 Turpiter aeger ades medicae male conditor artis ;  
 42 hinc est Aonii maesta corona gregis.  
 43 Num fugiens celeres Daphnes Peneia gressus,  
 44 laurea frondoso cortice membra tegit ?  
 45 Admetine greges herboso pascis in agro,  
 46 atque humilem dura construis arte casam ?  
 47 Irrita quis poscet dubiis oracula rebus,  
 48 facundumve sacro pectine tanget ebur ?  
 49 Haec ego : ferali tunc victa Polymnia taxo,  
 50 dum tulit haec, gemitu lingua retenta pio est.  
 51 Nulla Dionaeae laeserunt corda sagittae,  
 52 tristior extinctis errat amor facibus  
 53 Dandolus aestivi correptus sidere morbi,  
 54 heu jacet, et laeti triste timemus iter.  
 55 Hunc gremio primum tenera de matre cadentem  
 56 suscepi nostris presse puer manibus.  
 57 Morbe ferox vatis teneros jam desere vultus,  
 58 si nescis, geminum pectus acerbe premis.  
 59 Heu, heu, quam vario mutat sors omnia casu,  
 60 et certam praesens vix videt hora Deam.  
 61 Bellua non raptio citius volat Indica fetu,  
 62 Pisaeove fugit carcere liber equus ;  
 63 ut mare mobilior, flavisque incertior Austris,  
 64 instabili celerem sors movet orbe rotam.  
 65 Quid genus, aut virtus, quid doctae Pallados artes,  
 66 nobileque a prisco ducere nomen avo,  
 67 Pactolique juvat, quos perluit unda liquores,  
 68 sparsa vel ostrino concha Erycina toro ?  
 69 Nam quis divitiis infirmo pectore gaudet ?  
 70 Non ego cum morbo Lucius esse velim.  
 71 Huc ades intonso, Paeon formose, capillo,  
 72 huc ades, et placidus pectora fessa leva !  
 73 Aspice, ut informis teneros color inficit artus ;

74           imminet ut vacuo Parca sinistra colo.  
 75   Lanigeras Pan curat oves, foveat alma Dione,  
 76           si quis Acidaliis bella gerit calamis.  
 77   Tu regis infirmas vates nisi vatis habenas,  
 78           serviet exemplo quis tibi, Dive, suo ?  
 79   Ecce Venus densa Nympharum stante corona,  
 80           arida Nectareo membra liquore levat.  
 81   Cymodoce violas, roseos dat Phyllis odores,  
 82           spargit odoratas caerula Nais aquas.  
 83   Ergo veni, et tenero morbos expelle poetae,  
 84           urna tuum leviter sic Phaetonta premat.  
 85   Sic te defessum longis erroribus orbis  
 86           excipiat placido Tethys aquosa sinu.  
 87   Non faciles tractare lyras mollesve choreas,  
 88           non opus est, densas flectere dente comas.  
 89   Ipse rosas, violas, et semina lactucarum,  
 90           quique levent succos torrida membra geras.  
 91   Praemia digna manent, toto Laurentius aevo  
 92           culti Maroneis ora rigabit aquis.  
 93   Audit vota pater, succos tulit ille, tibi que  
 94           purpureus roseo candor in ore micat.  
 95   Ergo age, Smyrnaea carmen modulare sub umbra,  
 96           sic eris Adriaci gloria rara soli.  
 97   Teque vehet rumor candenti gemmeus ala,  
 98           cum tenuis fient ossa perusta cinis.  
 99   Nam Mausoleum tangit jactura sepulchrum,  
 100           altaque nobilium culmina pyramidum.  
 101   Longa dies Geticae compescit tigridis iras,  
 102           longa dies cogit sub juga panda boves.  
 103   Ferreus exigua teritur rubigine mucro,  
 104           frangitur et tenui dura liquore silex,  
 105   tempus edax meritos rebus subducit honores ;  
 106           sola tamen gelida carmina morte carent.  
 107   Non senio squallet Nemesis cantata Tibullo,  
 108           nec longaeva situm pulchra Lycoris habet.  
 109   Cumque metallifero Simois miscebitur Hermo,  
 110           cum fluet Armeniis barbarus Ister aquis.  
 111   Mordaci vivet juvenescens carmen in aevo,  
 112           nobile Pieridum stat sine fine decus.

AD ROBERTUM GAGUINUM

C\_68   v.1   Nox erat, et pleno fulgebat Cynthia cornu,  
           2           curarum domitrix ceperat alta quies.  
           3   Cum mihi visus eram Dircaeas scandere sedes ;  
           4           vel fuit, aut vacuae somnia mentis erant.  
           5   Hic ego scripta dabam viridi resupinus in antro,  
           6           mollia purpureus quae mihi dictat amor.  
           7   Nam modo qui saevos tutus contempserat ignes,  
           8           illum felicem terque quaterque tuli.  
           9   Nunc vaga Acidaliae mirabar castra Diones,  
 10           et novus aligeri miles amoris eram.  
 11   Me modo fallacis terrebant verba puellae,  
 12           verba procelloso diripienda Noto.

13 Saepe etiam dominae vitiis patientia victa est,  
 14 et duxi fracto libera colla iugo.  
 15 Illa mihi impressit certantibus oscula linguis,  
 16 quae possent duri sistere tela Jovis.  
 17 Ultro ego formosae petii fera vincla puellae,  
 18 ipse libens dominam servitiumque tuli.  
 19 Haec ego, sive quid in miserum cogebat amantem  
 20 alternans laetis Cypris amaritiam.  
 21 Ecce venit scisso maerens Elegia capillo,  
 22 tum primum est oculis cognita maesta meis.  
 23 Atque ait : 'O miles tenerorum lusor amorum,  
 24 qui canis aligeri bella cruenta ducis.  
 25 Heu quot grata tibi malus abstulit otia livor,  
 26 livor edax, laetis qui macer esse solet.  
 27 Melliflui finxit te rodere carmina vatis  
 28 Gaguini, Aonii gloria rara chori.  
 29 Ipse puer quotiens gremio reptavit in isto,  
 30 doctaque Smyrnaeis ora rigavit aquis ?  
 31 Tinge Lycambaeo liventia tela cruore,  
 32 more fluentis eat liber iambus aquae,  
 33 donec livor edax, rebusque infestus opimis  
 34 exclamat flexo poplite : "Falsa tuli".  
 35 Dixit, et aethereis volitans se miscuit auris,  
 36 irriguus liquit lumina fessa sopor.  
 37 At tibi, qui geminos audes committere vates,  
 38 Ledaemque putas dissociare genus,  
 39 sit labor aeternus, sit tristis inersque senecta,  
 40 perpetuusque timor, perpetuusque pudor.  
 41 Te mala cuncta premant, te torreat arida febris,  
 42 nec sit, qui misero pocula ferre velit.  
 43 Ergo ego dilectum potui sprevisse sodalem ?  
 44 O mihi Thesea semper amande fide.  
 45 Ergo ego doctiloqui carpsissem carmina vatis,  
 46 carmina Pieriis aequiparanda sonis ?  
 47 Juro per horrendae stagna intemerata paludis,  
 48 perque meum genium Castalidumque choros.  
 49 Juro per intacta natum de Virgine Christum,  
 50 juro per aethereae sidera clara domus.  
 51 Et coluisse tuas, laudasse et saepe Camenas,  
 52 Maeoniaeque illas aequiparasse tubae.  
 53 Si fallo : Tityi pascant mea membra volucres,  
 54 Tantalus et liquidis stem sitibundus aquis.  
 55 Terra prius fluctus, et pontus deserat undas  
 56 astra polum, volucres aethera, piscis aquas ;  
 57 quam subeant animo Ganguini obliviam nostro.  
 58 Mens habet una duos, mens habitura duos.  
 59 Tu mihi sola fides, animae pars altera nostrae,  
 60 altera lux, alter spiritus, alter ego.

## AD PYTHAGORAM

C\_69 v.1 Pythagora alterno reparas qui semina lapsu,  
 2 corporibusque novis das reduces animas.  
 3 Dic, quid erit Marcus, Stygiis cum dirus in undis



4 corpora Sisypchio pondere saeva premet ?  
 5 Quis Marcus ? Marcus rabido livore refertus,  
 6 qui Fabii damnat, et Ciceronis opus.  
 7 Omnia qui rodit, genuinum frangit in omnes,  
 8 et cui Gorgoneo viscera felle madent.  
 9 Non erit ille caper, non vasti bellua ponti,  
 10 non leo, nec taurus, ergo quid ille ? Canis.

## AD IOANNEM VERONENSEM

C\_70 v.1 Membroso tumidum qui formas ore Priapum ?  
 2 Parce meas labris contemerare genas.  
 3 Quid juvat (heu) mundaе parcat quod mentula buccae  
 4 fellator labris si quoque fio tuis.

## IN EUNDEM

C\_71 v.1 Quisquis erit solvens Thebana aenigmata, dicat  
 2 qui sine pene viros irrumat ore, quis est !

## AD LUDOVICUM PISANUM

C\_72 v.1 Dulcis es, et dulci genitus, Ludovice sub astro ;  
 2 dulcis es, et dulci dulcior Ambrosia.  
 3 Dulcis es, et dulci sunt lumina clara nitore,  
 4 dulcis es, et dulci manat ab ore lepos.  
 5 Dulcior atque favis, et nectare dulcior omni,  
 6 dulcior et si quid dulcius esse potest.  
 7 Durus es (heu) nobis, mores depone ferinos,  
 8 conveniunt pueris mollia, dura feris.

## AD IOANNEM DE MONTE

C\_73 v.1 Joannes, Clarios nunc cernimus undique vates,  
 2 et decorant omnes laureaserta comas.  
 3 India dat vates, dat terra Britanna poetas,  
 4 dat Scythicus, Lybicus, Gallus, Iberus, Arabs.  
 5 Parvulus ad lustrum cumprimum venerit infans,  
 6 arguto blaesos concinit ore modos.  
 7 Quid mirum ? Tenuit antiquo tempore lauros  
 8 Parnassus, lauros nunc habet omnis ager.

## AD AEGIDIUM DELPHUM

C\_74 v.1 Quid tenuem laudas vates memorande Thalam  
 2 vestit rugosum nostra Thalia piper.  
 3 Corvum laudat olor, picae Philomena querelas,  
 4 cornicisque sonos unica laudat avis.  
 5 Nec tamen exspectes, ut solvam haec legibus aequis,

6           veridicove probem carmina culta sono.  
7       Laudis egent, quae sunt mediocria, livor iniquus  
8           commendat versus, Delphe diserte, tuos.

## AD EUNDEM

C\_75    v.1     Lumine captus erat Smyrnaeae gloria gentis,  
          2           squallebat caeco lumine Tiresia.  
          3     Vivet Tiresiae, vivet quoque nomen Homeri,  
          4           dum novus Eoo surget ab axe dies.  
          5     Hunc quoque, quem caecum memoras, mi Delphe, corusca  
          6           mente videt, quantum cernere lynx poterit.

## AD LINUM

C\_76    v.1     Quid miserande negas tardas effundere voces,  
          2           grandia verba ubi sunt ? Quid miserande negas ?  
          3     Oedipodis fundas voces, vocesque Thyeste,  
          4           et Phaethonteos Icariosque sonos.  
          5     Quasque reunitas sub gurgite rana coaxat,  
          6           et quas Odrysio concita Baccha Deo.  
          7     Effundit Stygiis quas noxia turba sub undis,  
          8           et si non satis est hoc, Line, junge tuas.

## AD ROBERTUM GAGUINUM

C\_77    v.1     Legimus, o vates, tua carmina, carmina Phoebos  
          2           digna, nec Orpheis inferiora sonis.  
          3     O dilecta Deis, o felicissima tellus,  
          4           in qua tu fausto sidere progenitus.  
          5     Tunc Venus, et fulvis volucer Tegeaticus alis  
          6           fulsit, et ignivomi stella benigna Jovis.  
          7     Vos Heliconiades dulci pro lacte sorores  
          8           pocula Castaliae plena dedistis aquae.  
          9     Et canere arcano puerum docuistis in antro,  
         10           sub quibus ille vagans luserat arboribus.  
         11     Plectra dedit Clio, calamosque Thalia, Minerva  
         12           lauros, et thyrsos Bacchus, Apollo lyram.  
         13     Hinc canis Aonios redolentia carmina fontes,  
         14           docte Tibulleo cultius ore loqui.  
         15     Donec erunt vates, et Apollinis arma gerentur,  
         16           Bellerophonte gloria fontis eris.

## IN TITUM PAMPHILUM

C\_78    v.1     Impuras, Tite, basiationes  
          2           emis, dum pueri rapacioris  
          3           addixti tabulas, togas, libellos,

4 structas Euganea domos in urbe,  
 5 et musis geniale rus dicatum ;  
 6 et quicquid rapis, hinc et inde donas,  
 7 munus, quin etiam mihi Kalendis  
 8 Mai ; quod dare solitus fuisti,  
 9 nunc donas puero rapaciori,  
 10 quae te tam mala mens, furorve cogit,  
 11 ut hunc foetidulum, novum Cinaedum  
 12 antiquo mihi praeferas sodali ?  
 13 Exclamare libet, miselle, nostro,  
 14 nostro munere, tu irrumas Cinaedum.

## AD MARIANUM

C\_79 v.1 Candida fama tibi parcit, Mariane, tibi que  
 2 livor edax parcit, parcit inane Sophos.  
 3 Si Canius vivat, si monstret Pana Tarentos,  
 4 excoluisset opus turba jocosa tuum.  
 5 O grande ingenium, o longi cura laboris,  
 6 haec nec Aristarchus, nec legat haec Bavius.  
 7 Quae si docta cohors nostri praecepta magistri  
 8 spreverit, Oedipus haec talia saepe leget.

## AD TITUM PAMPHILUM

C\_80 v.1 Kina philon panta, Samii sententia vatis  
 2 est, Tite, sed quorsum haec Attica verba petis ?  
 3 Dicam equidem, cultae retinent te vincla puellae,  
 4 quae Stygium posset sollicitare Jovem.  
 5 Cornua cui sumat, cui se mutaret in aurum  
 6 Juppiter, et niveam dissimularet avem.  
 7 Et tibi sum Pylades, et tu mihi fidus Orestes,  
 8 quae volo si quaeras, Pamphile, Kina philon.  
 9 Subrides, tacitoque refers haec verba susurro,  
 10 non recipit socios in sua regna Venus.  
 11 Credimus : at dives mittat si munera Paulus,  
 12 in socium veniet pacta puella torum.  
 13 Vincit amicitiam nummorum caeca libido,  
 14 i nunc, et jacta perfide, Kina philon.

## AD DOMINUM ANGELUM ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM

C\_81 v.1 Purpurea venerande pater redimite tiara,  
 2 summus honoratae religionis apex.  
 3 Gloria tu vatium, linguaque decorus utraque,  
 4 cui dedit eximium Philosophia decus.  
 5 Ecce tibi faciles donant sua carmina Nymphae,  
 6 seria sive velis, sive jocosa sequi.  
 7 Libera verba modis seu mavis scribere, cedit  
 8 gloria Romani Tullius eloquii.

9 Tu rapidos solis cursus, annique meatus  
 10 noscis, et aetherae sidera clara domus.  
 11 Nec virtute minus, morum et candore probaris,  
 12 antiquum excedis religione Numam.  
 13 Cui Cato justitia cedit, probitate Metellus,  
 14 Caesareum cedit nobilitate genus.  
 15 In te ego quid potius mirer ? Viresne capacis  
 16 ingenii, sanctas an probitatis opes.  
 17 Laude sed humana tollenda scientia, virtus  
 18 caelesti dignum te tua laude facit.

IOANNI KHALTENMARGKTER, SACRAE PAGINAE AC IURIS DOCTORI

C\_82 v.1 Ut dubitat, quo flectat iter, quibus erret in undis  
 2 navis ab adversis exagitata Notis ;  
 3 sic mea per varias rapitur sententia partes,  
 4 dum cupio dotes concelebrare tuas.  
 5 Tu Logicae nodos, obscuraque enigmata solvis,  
 6 et tibi dat summum Philosophia decus.  
 7 Tu rapidos solis cursus, annique meatus  
 8 noscis, et aetherae sidera cuncta domus.  
 9 Tu gemini calles numerosa volumina juris,  
 10 quidquid et humanum scit reserare genus.  
 11 Nec virtute minus, morum et candore probaris,  
 12 antiquum excedis religione Numam.  
 13 In te ego quid potius mirer ? Viresne capacis  
 14 ingenii, sanctas an probitatis opes ?  
 15 Laude sed humana tollenda scientia, virtus  
 16 caelesti dignum te tua laude facit.

AD KAROLUM

C\_83 v.1 Cingat Idumaea victricia tempora palma  
 2 Mato triumphali conspiciendus equo.  
 3 Clamet io vici, vici bis, Karole, clamet,  
 4 clamet io magna voce triumphae Mato.  
 5 Ipse ego magnanimi, fateor, sum praeda Matonis,  
 6 adversaeque tuli praemia militiae.  
 7 Ipse ego ferratis devinctus colla catenis  
 8 pompa Matoneas prosequor exuvias.  
 9 Sic quoque (me miserum) Tarpeia ad limina vectus  
 10 ducor io clamans : omnia Mato potest.

AD PSITTACUM DOMINI AMBROSII DE CAMBRAY

C\_84 v.1 Humanae solers scrutator, psittace, linguae !  
 2 Qui canis audito tam bene verba sono.  
 3 Ambrosium facunde vocas, dominumque salutas,  
 4 saepe refers clara voce : "Puella vale".  
 5 Cum pater Ambrosius divino nectare fusus,

6 curarumque gravi pondere liber erit ;  
 7 psittace dux volucrum ne sit grave dicere, quaeso  
 8 ha tandem Balbi sit tibi cura tui.  
 9 Haec modo tu referas, fueris si quando canendo  
 10 defessus, pro te nostra Thalia canet.

## AD AEGIDIUM DELPHUM

C\_85 v.1 Aegidi ! Clariae decus cohortis  
 2 qui versus celebras severiores,  
 3 et Musas redoles Maronianas !  
 4 At nos perlepidata procacitate,  
 5 jucundos epigrammaton libellos,  
 6 mollesque hendecasyllabos jocamur,  
 7 genus carminis imbecillioris.  
 8 Nos nudum canimus Thalassionem.  
 9 Quare si graciles amas libellos,  
 10 et lusus faciles levesque nugae,  
 11 scribas deposita severitate.  
 12 Canamus lepidos jocos, canamus !  
 13 Haec si dixeris ore non molesto,  
 14 mittam perspicuos jocis libellos.

## IN MALEDICUM

C\_86 v.1 Consuluit taetro solers natura barathro,  
 2 non satis in Stygiis janitor unus erat.  
 3 Te tulit infelix, aluit te lacte canino,  
 4 hinc rabido latras verba canina sono.  
 5 Sit Maro, vel Cicero, Varroneve doctior, usquam  
 6 effugiet morsus invidiose tuos.  
 7 Omnibus arrides, cunctis maledicis, aperte  
 8 quaeque Theonino rodere dente soles.  
 9 Sic latrator eris vivens, cum fata subibis  
 10 flumine Tartareo Cerberus alter eris.

## AD CAROLUM FERNANDUM

C\_87 v.1 Vasa probat Mentor, Venerem miratur Apelles,  
 2 a Phidia summi est forma probata Jovis.  
 3 Marmora Praxiteli, placuit quoque vacca Myroni,  
 4 mirum est, si Balbum, Carole docte, probes.  
 5 Auctor opus laudat, sic forsitan Accius olim  
 6 laudabat vanam credulus Iliada.  
 7 Sum lyra, ni tangas plectro mea fila canoro,  
 8 mutus ero, artificii gloria tota tibi est.

## AD ROBERTUM GAGUINUM

C\_88 v.1 Candida cuncta geris, tibi candida tota supellex  
 2 candidè candenti conspiciende toga.  
 3 Haec toga Acidalias superat candore columbas,  
 4 et quae Mygdonio marmore tecta nitent.  
 5 Quin etiam superat cristalla, ligustra, pruinas,  
 6 lilia, quae verna luxuriantur humo.  
 7 Cedit Erythraeo quaesita sub aequore gemma,  
 8 cedit et Eoi nobile dentis ebur.  
 9 Haec toga sit primis nivibus licet aemula, mentis  
 10 attamen indicium candidioris adest.

## AD MATONEM

C\_89 v.1 Nomina causidici meruisti clara Matonis,  
 2 Mato Maronea saepe canende lyra.  
 3 Carolus ecce sacer jam concipit arma, virumque,  
 4 clarus es heroa laude superbe Mato.  
 5 Grammata, rhetoricam culte, lepide atque venuste  
 6 scripta geris, tardi haec arma Matonis erunt.  
 7 Victor es, heroum superas Mavortia bella,  
 8 more Jovis portas tela trisulca Mato.  
 9 Arma quis haec vincat, quis nunc eat obvius illis ?  
 10 Ignea tela geris, Deucalione opus est.

## IN MENDACEM

C\_90 v.1 Qui fueras tota mendax notissimus urbe,  
 2 et tota fueras notus in urbe loquax.  
 3 Captus in obscuro latuisti carcere clausus,  
 4 et meritas poenas lingua recisa dedit.  
 5 Nec satis est, scribis, quod dicere, Lentule, lingua  
 6 scissa nequit, superest, dextera caesa cadat.

## AD CAROLUM FERNANDUM

C\_91 v.1 Ede tuos lepido sale tinctos, ede libellos,  
 2 o mihi Orestea juncte poeta fide.  
 3 Pigra soporiferae fugiam quibus otia Lethes  
 4 et sequar Aonii rura beata chori.  
 5 Namque ego laurigerae modo sum novus accola rupis,  
 6 et meus in primo pulvere sudat equus.  
 7 Sudat equus duri stimulis agitatus amoris  
 8 qui celeri mecum bella gerit calamo.  
 9 Qui tolerare famem, duos tolerare labores  
 10 jussit, et indigno vivere servitio.  
 11 Felix, cui flatu ridet fortuna secundo,  
 12 culta Tibulleo carmina conde pede.  
 13 Ast ego Acidalia quem Cypris arundine fixit,

14 aligeri semper miles amoris ero.

AD MATONEM

C\_92 v.1 Dogmata quis potuit tumidi celebrasse Matonis,  
 2 dogmata non ullis cognita temporibus ?  
 3 Totus es orator, totus Mato docte colores  
 4 calles ; hic color est, Byrrhia semper homo,  
 5 vos isthaec intro, color est, auctore Matone.  
 6 O rem admirandam, quam sapis alta Mato !  
 7 Marce vale, valeas tu Quintiliane, Matonem  
 8 Gallia felicem terque quaterque colat.  
 9 Dic rogo, cum dicas Aeneam, dicasque Venetum  
 10 hic quoque num color est, ingeniose Mato ?  
 11 Vive Mato, Phaeton simul et Titania Tethys,  
 12 jam properant librum pingere, docte, tuum.

AD ROBERTUM GAGUINUM

C\_93 v.1 Romuleos postquam petiisti, Candide, colles,  
 2 dividor in partes heu miser ipse duas.  
 3 Nam Gallis corpus, Latiis cor vivit in oris,  
 4 solvere quae solum mors tenebrosa potest.  
 5 Liligeros igitur repetas, Gaguine, penates,  
 6 ne longa pereat corpus inane mora.

AD HIPPOLITAM

C\_94 v.1 Hippolyta lepidis Fernandi culta libellis,  
 2 jam laudes cantat axis uterque tuas.  
 3 Lesbia sic tenero fulget celebrata Catullo,  
 4 et cum Nasone est nota Corinna suo.  
 5 I nunc, et dubita sacros praeferre poetas  
 6 muneribus, pingui quae legit Indus humo.  
 7 Forma perit, pereunt et opes, vorat omnia tempus,  
 8 gloria carminibus non moritura nitet.  
 9 Donec erit Phoebus, dum pingent sidera caelum,  
 10 vivet Hyantei fama decusque chori.

AD PAULUM

C\_95 v.1 En jacet insulsi nunc fama sepulta libelli  
 2 Paule, tui, cessas quid miserande mori ?  
 3 Carolus Aonii decus et nova fama triumphi  
 4 te ridet, cessas quid miserande mori ?  
 5 Te pueri digito monstrant, juvenesque, senesque  
 6 exsultant ; cessas quid miserande mori !  
 7 Jam morere - et merito claudas mala fata veneno,

8 una salus miseris est periisse semel.

DE PRIMO VERE

C\_96 v.1 Qui Tyrios vexit spumosa per aequora raptus,  
 2 candida Phoebeis cornua junxit equis.  
 3 Squallida fugit hiems, Zephyri rediere secundi,  
 4 sub trabe nectit opus nuntia veris avis.  
 5 Ridet ager, vestitur humus, vestitur et arbor,  
 6 induit herbosum terra benigna caput ;  
 7 sic rutilae nostro crescunt in pectore flammae,  
 8 atque urit pectus saeva puella meum.  
 9 Nostra tamen major flamma est, nam cornua tauri  
 10 mense calent, semper pectora nostra calent.

IN INVIDUM

C\_97 v.1 Laudat, amat nostros miratrix turba libellos,  
 2 meque audet priscis annumerare viris.  
 3 Lividus en torvo spectat sacra carmina vultu,  
 4 atque meis atro detrahit ore jocis.  
 5 Rumpere livor edax, dictat mihi flavus Apollo  
 6 carmina, laurigero non renuenda choro.  
 7 Rumpere livor edax, gaudent livore poetae,  
 8 invidia nostrum surgit ad astra decus.

AD KAROLUM

C\_98 v.1 Poscis, quo fugiat ? Quaerat quas Mato latebras ?  
 2 Num petat Eoas, Hesperiasve domos ?  
 3 An rubei Phlegethontis iter, vel climata caeli,  
 4 qua patet astriferae lactea Zona viae.  
 5 Omnia namque potest, Deus est Mato ; sed tamen audi,  
 6 quae querulus dixit ore tremente Mato :  
 7 "Me rota fortunae, me candida fama reliquit ;  
 8 sera quidem superis sed tamen ira manet.  
 9 Cepimus Icarios aususque amisimus alas ;  
 10 altus eram, lapsu nunc graviore ruo.  
 11 Quo ferar infelix, me tellus, me aequora spernunt,  
 12 astra micant nostro non violanda pede.  
 13 Me, precor, in nihilum tandem pia numina vertant,  
 14 esse nihil malo, quam gravis esse dolor."

DE IGNARO

C\_99 v.1 Mens erat, ingenti contexere bella cothurno,  
 2 et jam mordaces deseruisse jocos.  
 3 Ecce ruit monstrum rabido livore refertum,



4 monstrum horrendum, ingens, exitiale, ferox,  
 5 bella geram, forti jungantur castra duello,  
 6 sparsa Lycambeo sanguine tela madent.  
 7 Trans mare, trans terras, trans ulteriora feremur,  
 8 si poterunt nobis ulteriora dari.  
 9 Quid facis, o demens ! O nostri infamia saeculi !  
 10 Urbe quid in docta quid miserande facis ?  
 11 I pete (si pudor est) purgantia gramina stultos,  
 12 una tuo capiti spes erit Anticyra.

AD DOMINUM AMBROSIUM DE CAMBRAY

C\_100 v.1 Vel fuit ille sacer vates, vel magnus Apollo,  
 2 nomina qui tribuit Ambrosiana tibi.  
 3 Ambrosius pascit caelestia pectora succus,  
 4 laetatur dulci Jupiter ambrosia.  
 5 Dulcior ambrosia, tu nectare dulcior omni,  
 6 ambrosias vincis nectareasque dapes.  
 7 Vive diu felix, superans vel Nestoris annos,  
 8 sis cunctis dulci dulcior ambrosia.

IN COENIPETAM

C\_101 v.1 Quae testam mala mens, furorve cogit !  
 2 Quid langues miser esuritione !  
 3 Bis sol occiduus rotas pruina  
 4 tinxit, Delia bis opus peregit,  
 5 nec potus foveat, aut cibus palatum,  
 6 domi Cecropiae madent olivae,  
 7 ales Phasidos, Africusque nidus,  
 8 Pygmaeo volucris madens cruore.  
 9 Mullus, sumen, aper, columba, perdix,  
 10 et langues miser esuritione.  
 11 Erras anxius inde et hinc per altos  
 12 colles, per fora, circulos, tabernas ;  
 13 si quis te vocet ad suam lagoenam.  
 14 Jam nostro Ambrosio es gravis miselle,  
 15 prandeas semel ut domi, precatur.  
 16 Hoc durum nimis, et nimis molestum,  
 17 et fame decies perire mavis.  
 18 Quid tanta precer esuritione ?  
 19 Ad mensam Jovis auream recumbas.

IN MALUM POETAM

C\_102 v.1 Merdosis scribis quid carmina digna cloacis ?  
 2 Carmina merdosis saepe referta notis.  
 3 Merdosi mores, merdosa Thalia, poeta  
 4 merdosus, merdas Calliopea sapit.  
 5 Vix tria verba refers, merdas, culosque natesque,

6 carminibus culus, mentula, merda sonant.  
 7 I, pede merdaleas, turpis scarabaeae, cavernas,  
 8 si tibi merdaleo nil nisi merda placet.

## AD FRANCISCUM

C\_103 v.1 Numquid sit studium, numquid, Francisce, cupido ?  
 2 Qui mea sic reddat corpora sicca petis.  
 3 Non studium, non saevus amor mea pectora torquet,  
 4 quae te paupertas, me quoque dira premit.

## AD CAMILLAM

C\_104 v.1 Te colo, te veneror, numquid mea vulnera curas ?  
 2 Vulnera non vati perpetienda pio.  
 3 Te donis dono, numquid mea vulnera curas ?  
 4 Vulnera mortali non patienda viro.  
 5 Te modulis celebros, numquid mea vulnera curas ?  
 6 Vulnera non fido perpetienda mihi.  
 7 Te fugiam, forsitan quod non potuere, Camilla !  
 8 Carmina, dona, preces, id fuga nostra dabit.

## AD EANDEM

C\_105 v.1 Nullane te pietas morientis, perfida, tangit ?  
 2 Nulla movent animum Numina laesa tuum ?  
 3 Crudelis, duris multo crudelior ursis,  
 4 durior et ferro, durior et lapide.  
 5 Saevitia vincis silices, adamanta, ferasque ?  
 6 Ut reor, in duro pectore marmor habes.  
 7 Non, non humani te progenuere parentes,  
 8 sed lupo, aut dura rupe leaena ferox ;  
 9 et genita in silvis, nutritaque lacte ferino,  
 10 et tibi quae tribuit ubera, tigris erat.  
 11 Crudelis, tantos numquam miserata labores,  
 12 nunc satia nostris pectora saeva malis.  
 13 Tot mala nam patior, quot caelo sidera fulgent,  
 14 aethera quot volucres, quot vehit amnis aquas.  
 15 Si quis erit, cunctos misera qui mente dolores,  
 16 et genus omne mali noscere poscat, amet.

## DE MATONE

C\_106 v.1 Candida turba suum totiens non clamat Osirin,  
 2 quam cingit pingui Nilus opacus aqua.  
 3 Congeminat maenas, sed rarius euchion, heu, hoc  
 4 Thyrsigero celebrans orgia grata Deo.  
 5 Nec puerum tam saepe vocat Tirynthius heros,

6           Ascanio clausit qui sua fata lacu.  
 7           Ut sonat eximium lepidus liber iste Matonem,  
 8           Cecropio tinxit quem pia Musa sale.  
 9           Margine nam pleno, tergoque et fronte triumphat  
 10          saepe Mato, Mato dic, sta Mato, curre Mato.  
 11          Plena ipso quondam fuerat lectica Matone,  
 12          plena ipso sed nunc carta Matone viget.

#### AD CAERULUM LINUM

C\_107   v.1   Ambitiose tumes ter divo nomine, nomen  
           2           ignotum priscis, Caerule, Caesaribus.  
           3           Si cupis esse Deus, Memphitica templa requiras,  
           4           et loca monstriferis prodigiosa deis.  
           5           Monstra colit gens dira, canem veneratur Anubin,  
           6           ille soporiferum vel crocodilon amat.  
           7           Abstinet hic caepis, hircino hic sanguine gaudet,  
           8           cumque feris culta est torva leaena lupis.  
           9           Ille vel accipitrem, vel cercopithecon adorat,  
 10          et sunt lanigeras qui venerentur oves.  
 11          Sic portenta colit variis distincta figuris,  
 12          gens inimica viris, gens inimica Deis.  
 13          Grande quidem monstrum es (nec duro cetera vultu  
 14          perlege) nam monstrum, Caerule, grande quidem es.  
 15          Omnia de nihilo facis ; es Deus, et vaga caeli  
 16          signa geris, capiti est luna novella tuo.  
 17          Theologus, vates, citharoedus, rhetor, et augur  
 18          esse potes, cum sis, ambitiose, nihil.  
 19          Hydra ferax, Cacusque tibi, cedatque Prometheus,  
 20          monstrum es monstrorum, prodigiose Line.  
 21          Ergo age, clausa petas septeno moenia Nilo,  
 22          si qua fides vati est, Caerule, numen eris.

#### EPITAPHIUM ARDOLAPHI PINI

C\_108   v.1   Quod sua cuique dies maneat, quod fama supersit,  
           2           Ardolaphi monstrat fama decusque ducis.  
           3           Quem non mille manus poterunt, nec mille phalanges,  
           4           abstulit hunc cunctis mors adeunda viris.  
           5           Casside Mars posita luget, posita Aegide Pallas,  
           6           quis credat ? Pinum tam brevis urna tegit.

#### DE GLAUCIA

C\_109   v.1   Dum properat pulchram praecidere Glaucia Sextam,  
           2           altera longa fuit, claudus et alter erat.  
           3           Lascivum dum tractat opus, pronusque laborat,  
           4           labitur, et flexo poplite stare nequit.  
           5           Fessus anhelabat, varias dum cogitat artes,  
           6           auxilium dixit Bartolus iste dabit ;

7 suffulsitque pedem libro, quid quaeritis ultra ?  
8 Et sextam et librum Glaucia supposuit.

AD DOMINUM AMBROSIUM DE CAMBRAY

C\_110 v.1 Non rota fortunae, non sidere fata maligno  
2 fregerunt mentem, vir generose, tuam.  
3 Jam cessit fortuna tibi, jam victa pudore  
4 se facilem tanto praebuit illa viro.  
5 Pellaeum sileat juvenem vaga fama, nec ullus  
6 laudibus inmodicis Caesaris acta canat.  
7 Cedit uterque tibi, facile est superare volentem  
8 fortunam, adversam vincere difficile est.

AD DOMINUM GUILLERMUM DE RUPEFORTI

C\_111 v.1 Si, Guillerme, meos contingas forte libellos,  
2 pone supercilium.  
3 Non Romana juvat, Venetum non arma referre,  
4 liligerumve ducem.  
5 Monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum est,  
6 et bona cuncta simul !  
7 Vipereo spargit Praebeia prata cruore,  
8 Thespiadumque lacus.  
9 Bella gero : et timidum conor depellere monstrum ?  
10 Sis pater alme favens.  
11 Postmodo siqua malus permiserit otia livor,  
12 Martia bella canam.  
13 Interea vacuus curarum pondere laeta  
14 haec quoque fronte legas.  
15 Este procul Curii tenues, rigidique Catones !  
16 Musa jocosa mihi est.  
17 Musa jocosa mihi est : sed sunt sine crimine mores,  
18 vitaque labe caret.

MAXIMILIANO, SERENISSIMO ROMANORUM AC UNGARIAE REGI

C\_112 v.1 Non primum tumido est ausus se credere ponto,  
2 ignota secuit qui rate primus aquas ;  
3 sed vicina levi temptavit stagna carina,  
4 mox dedit Ionio libera vela salo.  
5 Sic timet hibernis agitata fluctibus undas,  
6 proxima nec linquit litora nostra ratis.  
7 Ast ubi fata dabunt, medium sulcabimus aequor ;  
8 tunc tua longinquis fama vehetur aquis.  
9 Teque feram rapido qua surgunt aequore calpes ;  
10 qua rubet Eoi mobilis unda maris.  
11 Nunc licet exigua videar freta radere cymba,  
12 vincit rostratas haec mea cymba rates.

## EIDEM REGI

C\_113 v.1 Militiae sublime decus, spes certa labantis  
 2 et columnen patriae ; superi quem rector Olympi  
 3 extulit, et latas rerum commisit habenas ;  
 4 ut foret, indomitos bello spoliisque superbos  
 5 qui regeret populos, partisque ex hoste triumphis  
 6 inclytus emeritis compleret laudibus orbem.  
 7 Te Phoebus tenera primo de matre cadentem  
 8 suscepitque aluitque sinu, et puerilia sacris  
 9 ora rigavit aquis ; hinc flumina larga beati  
 10 pectoris ; hinc fundit sermonis mella politi  
 11 Hyblaeis vox mixta favis, qua dissona linguis  
 12 barbaries regitur, qua ferrea pectora mulces.  
 13 Cum tibi primaevo vernaret flore genarum  
 14 molle decus, teneraque nitens lanugine vultus  
 15 lilia purpureis confunderet alba rosetis ;  
 16 non fractus, non segnis eras, non mollia luxu  
 17 tempora ducebas, discincta nec otia noras ;  
 18 sed jaculum torquere manu, sed mittere nervo  
 19 spicula, velocesque agitare in pulvere currus,  
 20 flectere ludus equum, sumptoque umbone phalanges  
 21 sternere, praecipitique notos praecurrere cursu.  
 22 Tale rudimentum tenero sortitus ab aevo,  
 23 inclytus Arctoi domitor cum Carolus orbis  
 24 (proh dolor) occubuit non aequa sorte peremptus.  
 25 Tu ducis egregii sobolem, pactosque Hymenaeos  
 26 suscipis, inque dolis caecoque in Marte tueris.  
 27 Cimbrorum afflictis solus succurrere rebus  
 28 ausus ; et insidiis, quas undique Belgicus axis  
 29 tendebat, bello fortique occurrere dextra,  
 30 liligerum dare terga ducem, dare terga cohortes  
 31 vidimus, et stratis albentes ossibus agros.  
 32 Misisti populos tunc sub tua jura feroces,  
 33 exiguaque manu Gallorum victor acervos  
 34 stravisti ; Matrona rubens ejecta sub undis  
 35 corpora volvebat, mixtoque infecta cruore  
 36 Sequana non puras pelago commiserat undas.  
 37 Nemo impune tuis umquam sese obtulit armis ;  
 38 sive pedes dubii certamina Martis iniret ;  
 39 seu luctantis equi contunderet ora lupatis.  
 40 Quae gens tam procul est, quae non tua fortia facta  
 41 audierit, regnique decus novere Geloni ;  
 42 belligeri novere Scythae, novere Britanni ;  
 43 novit et infelix Burgundia, cujus apertum  
 44 spirat vulnus adhuc, et inundant sanguine fossae.  
 45 Pannoniusque ferox, et equino sanguine pastus  
 46 Wassagetes, novit Latiis infestus habenis  
 47 Cantaber, et duro gaudentes Marte Sycambri ;  
 48 quique jacet celeres Parthus post terga sagittas,  
 49 circumfusa sonans qua perfluit aequora Nereus  
 50 fama volans invenit iter, terrisque relictis  
 51 scandit ad aetherei sublimia tecta Tonantis.  
 52 Jamque erit illa dies (si vera modo auguro) cum tu

53 Gadibus imperium extends, cum victor utrumque  
 54 Oceanum vertes, et qua vada salsa cadente  
 55 lustrat Phoebus equo, quaque aequora lampade prima  
 56 inficit Eois aurora evecta quadrigis.  
 57 Quod tibi si sacri contingant vatis honores,  
 58 qui tua gesta ferat, te nulla oblivia terris,  
 59 nulla dies umquam memori te subtrahet aevo.  
 60 Alternum nec enim factis per saecula nomen  
 61 emeruisse fas est ; cadit omnis gloria vitae,  
 62 omne decus fugiente anima, nisi carmina vatium  
 63 numquam casuris mandent tua nomina chartis.  
 64 Quid foret Aeneas, belloque insignis Achilles ?  
 65 Quid gemini Atridae, et patriis ferus Hector in armis ?  
 66 Ignoti obscura pridem sub nocte jacerent,  
 67 hos nisi Smyrnaei canerent praeconia versus.  
 68 Vive diu Caesar felix ; spolia ampla tropaeis  
 69 parta novis, domitoque ferens ex orbe triumphos ;  
 70 semper cincta geras florenti tempora lauro.

IOANNI VITEZIO, VESPRIMIENSI AC VIENNENSI EPISCOPO

C\_114 v.1 Qui cecini placidi per amoena vireta Symechi,  
 2 nunc peto Vesprimii rura beata soli.  
 3 Hic tu dum tetricis laxabis pectora curis,  
 4 ingenioque reges sceptrum minora tuo.  
 5 Ipse leves elegos viridi resupinus in umbra  
 6 cantabo, et lusus blande Cupido tuos.  
 7 Esto procul, fulvi si cui sitis imperat auri,  
 8 et gravis innumeras arca flagellat opes.  
 9 Hortulus, angustique lares, tenuisque supellex,  
 10 exiguumque pecus maxima gaza mihi est.  
 11 Me mea Musa beat sacris bene nota Camenis,  
 12 quae cupit in laudes ire diserta tuas.  
 13 Forte legens nostris manantia carmina rivis  
 14 dices : post Janum palma secunda tibi est.

VITO ROSMAN PRAEPOSITO DIGNISSIMO

C\_115 v.1 Est, fateor, nitido facies tibi purior astro,  
 2 intonsaque micant lactea colla coma.  
 3 Sed tamen ista tui pars est extrema decoris ;  
 4 plus multo arcana mente nitoris habes.  
 5 Te natura parens qualem virtute futurum  
 6 praescierat, tali finxit in effigie.  
 7 Frons aperit, quod corde latet ; tua candida forma  
 8 indicium mentis candidioris adest.  
 9 Corporis omne decus paucis ut flosculus horis  
 10 excidet ; ast animi forma perennis erit.

## IOANNI FUCHSMAGEN, SENATORI REGIO

C\_116 v.1 Olim laurigeris fuerat quae clara triumphis  
 2 Roma, Medusaeo nunc viduata choro est.  
 3 Plectra jacent, sine honore lyrae, sine fronde capilli :  
 4 et gemit aversa tristis Apollo lyra.  
 5 Hoc facit ignavi turpissima praesulis aula ;  
 6 polluit infectum cetera membra caput.  
 7 Approbat haec scurras, lenones, scorta, cinaedos ;  
 8 approbat haec solito quodlibet ore nefas.  
 9 Cerne pios vates tritis errare lacernis,  
 10 et sua barbarico membra fovere cibo.  
 11 Exsulat Aonio relegatus Phoebus ab orbe ;  
 12 jam Luxum et Venerem Martia Roma colit.

## BERNARDO PERGER, SENATORI REGIO

C\_117 v.1 Sit licet obscurum densa caligine caelum,  
 2 aequoraque infestis exagitentur aquis.  
 3 Solvo tamen fragilem sterili de litore navem ;  
 4 inscius, an portum, caecave saxa petam.  
 5 Tu dare turbati placidas potes aequoris undas,  
 6 naufragaque in tuto ponere membra loco.  
 7 Jam male nota regas tentantem caerula puppim,  
 8 aspisesque meis aura secunda viis.  
 9 Nostraque praecipiti celerantia lintea cursu  
 10 excipias placido, vir generose, sinu.

## MICHAELI VITEZIO

C\_118 v.1 Navita solve ratem ; Zephyros dabit aura secundos ;  
 2 aura dabit Zephyros ; navita solve ratem.  
 3 Ne pete Trinacrii rabiosa pericula ponti ;  
 4 hic vomit epotas vasta Carybdis aquas.  
 5 Hic quoque praecipites alterno vortice cymbas  
 6 vexat arenosis Scylla proterva vadis.  
 7 Ne pete Carpathium vesano murmure pontum,  
 8 hic ubi Niliacis unda tumescit aquis.  
 9 Herculeoque fuge stagnantes aequore Calpes ;  
 10 nec repete Eoi litora rubra maris.  
 11 Haec freta perpetuo ventis agitantur iniquis ;  
 12 sunt quaerenda tuae mitia stagna rati.  
 13 Navita solve ratem ; Zephyros dabit aura secundos ;  
 14 aura dabit Zephyros : navita solve ratem.  
 15 Mons Bromio Phoeboque sacer porrectus in altum  
 16 eminet, et gemino vertice summa petit.  
 17 Labitur in medio vitreis fons lacteus undis ;  
 18 Bellerophontei fons pede natus equi.  
 19 Campus (ubi aeterni nitet indulgentia veris)  
 20 circuit, et variis terra benigna comis,  
 21 sanguineo splendore rosas, rubigine tinctas  
 22 fert violas, solo culta seges Zephyro :

23 turba Camenarum nitidis colludit in undis ;  
 24 haec sunt apta tuae mitia stagna rati.  
 25 Navita solve ratem ; Zephyros dabit aura secundos ;  
 26 aura dabit Zephyros ; navita solve ratem.  
 27 Haec generosa novi sortiti stagna poetae  
 28 tempora virgineis cincta gerunt foliis.  
 29 Hic queritur Titus lento consumptus amore,  
 30 tristia dilectae funera Phillyrhoes.  
 31 Hic patrium commiscet aquis Permessidos Istrum  
 32 Janus, Maeonio doctior ore loqui.  
 33 Fontanina comas grato tibi fundit Amomo,  
 34 candidior pura Carbo poeta nive.  
 35 Odasius veteres cantat resupinus amores,  
 36 maternaque sacer Cosmicus arte viget.  
 37 Intonat heroo bellum sociale cothurno  
 38 Ripa, Medusaei plena liquoris equi.  
 39 Navita solve ratem ; Zephyros dabit aura secundos ;  
 40 aura dabit Zephyros ; navita solve ratem.  
 41 Cerne tibi, placidis ut ludunt Dorides undis,  
 42 cum natoque favet candida Leucothoe,  
 43 fors an Arionii reminiscens praemia piscis  
 44 tergora subjiciet squammea turba tibi.  
 45 Uraniae speculatur iter ; Polyhymnia cautes,  
 46 velivolamque regit Calliopea ratem.  
 47 Ipse etiam celsa residens in puppe Lyaeus  
 48 immittit larga pocula plena manu.  
 49 At Venus ambrosios fundit de vertice odores,  
 50 fundit odoratas caerula Nais aquas.  
 51 Navita solve ratem ; Zephyros dabit aura secundos ;  
 52 exspectant cupidae cras tua vela Deae.

L. IOANNI CUSPINIANO, POETAE LAUREATO

C\_119 v.1 Jane meos inter sors non extrema sodales,  
 2 dimidiumque animae Jane poeta meae !  
 3 O mihi si propriis vitam traducere in agris  
 4 detur, et urbanam deposuisse togam ;  
 5 tunc ego muscosis pendentes collibus uvas,  
 6 et legerem facili mitia poma manu.  
 7 Aut colerem vitreis labentia flumina rivis,  
 8 gramineoque darem membra levanda toro.  
 9 Tunc cantaret Hylas, legeret mihi Julia flores ;  
 10 Julia sarta daret, plectra moveret Hylas.  
 11 Altera me teneris, sed et alter necteret ulnis ;  
 12 et quae praeterea plurima novit amor.  
 13 Si sapis, adde merum, citharam cape, posce puellas,  
 14 dum licet ; aligero mors ruit atra gradu.  
 15 Hanc natura parens stabili tulit ordine legem,  
 16 desinat ut, quidquid coeperit esse, semel.



## AD EUNDEM

C\_120 v.1 Mollia laurigeros cum pascant otia vates,  
 2 unde tibi nomen cupididis esse reor.  
 3 Quid tibi cum telo, quid cum Mavorte cruento ?  
 4 Cur premis Aonias cuspis acerba manus ?  
 5 Te tractare decet citharas, mordere labella,  
 6 virgineum lateri consociare latus.  
 7 Sed terebrare truci quia cuspidis nocte puellas  
 8 diceris, et cunnis vulnera mille dare.  
 9 Centenoque licet tua cuspis saeviat ictu,  
 10 recta tumet, nullis languida vulneribus.  
 11 Hac furis, hac agitas cunctas sine fine puellas ;  
 12 hinc tibi ab arrecta cuspidis nomen inest.

## DE OLIVA PUELLA AD DEUM CUPIDINEM

C\_121 v.1 Blande Cupido tuos cum ducis ab orbe triumphos,  
 2 cingat honoratas mitis Oliva comas.  
 3 Mitis Oliva petens exusta caloribus arva  
 4 nescit in argenti prosiluisse solo.  
 5 Mitis Oliva viget multo durabilis aevo ;  
 6 sic verus longo tempore durat amor.  
 7 Mitis in adverso solio pallescit Oliva,  
 8 palleat omnis amans ; Naso poeta canit.  
 9 Mitis Oliva refert placidae praesagia pacis ;  
 10 absint bella procul ! Pace fovetur amor.  
 11 Quid Veneri prodest myrtum sacrasse cruentum ;  
 12 aptior est Paphiae mitis Oliva Deae.

## DE EADEM PUELLA

C\_122 v.1 Solus eram memini sub tegmine mitis olivae ;  
 2 hic ubi nec soles, nec levis aura nocet.  
 3 Venisti, et placida contectus ab arbore nimbos  
 4 spernis, et hiberni frigora saeva poli :  
 5 non satis est, oleis jam vesci dulcibus audes,  
 6 quae misero fuerant potus, et esca mihi.  
 7 Desine, si pudor, est nostrae decerpere olivae  
 8 poma ; vel ipse legam, quod tua ficus habet.

## AD FENESTRAM SUAE PUELLAE

C\_123 v.1 O votis male fida meis invisita fenestra,  
 2 quae dominae celas lactea membra meae.  
 3 Te celeres tineae, vel te cariosa vetustas  
 4 rodat, et immundo sis quoque foeda situ.  
 5 Te rapido Boreas frangat scelerata boatu,  
 6 teque petat densis nubilus Auster aquis.  
 7 Imprecor haec merito, nam blandas saepe querelas

8           sprevisti, et lacrimas surda fenestra meas.  
 9       Tu feritate refers dominam ; tibi parco fenestra ;  
 10       sensus inest dominae ; non tibi sensus inest.

AD AEGIDIUM DELPHICUM

C\_124   v.1     Aegide Palladiae manus est armata Minervae ;  
           2       tum vocat audaces in fera bella viros.  
           3     Aegide saxificis violenta Medusa capillis  
           4       cernitur, et diro sibilat angue caput.  
           5     Ergo dabunt haec monstra pio lacrimabile vati  
           6       nomen, et Aegidium fama maligna canet.  
           7     Nomen, Achaemenio quod pagina tincta veneno,  
           8       quod notet inferno littera scripta lacu.  
           9     Sint procul a sacro fera Gorgonis ora poeta ;  
 10       nec premat imbelles aegis iniqua manus.  
 11     Quique suo totiens celebravit carmine Delphos,  
 12       vivat felici Delphica dictus ave.

AD NANUM MENTULATUM

C\_125   v.1     Parva manus, digitique breves, et colla minuta,  
           2       et par est tereti curculione caput.  
           3     Venter formicae, testudinis ora, genaeque,  
           4       et corpus minimo est pumilione minus ;  
           5     sed tamen Hectorea tibi mentula longior hasta  
           6       turget, et inflato vertice semper adest.  
           7     Quam bene commisit solers natura, negavit  
           8       quod reliquis membris, mentula sola tenet.

RAYMUNDO CARDINALI GURCENSI

C\_126   v.1     Optatae veteris Jani venere Kalendae ;  
           2       inchoat exactum lubricus annus iter.  
           3     Plurima nunc totam mittuntur dona per urbem ;  
           4       munera quisque sui grata sodalis habet.  
           5     Accipe Pierios redolentia carmina fontes ;  
           6       carmina Castalio non male nota choro.  
           7     Tu licet et gemmas, et fulvi grata metalli  
           8       dona feras, nostris dona minora feres.  
           9     Misit Roma potens gemmas oriente petitas  
 10       Augusto, Clarias sed Maro misit opes.  
 11     Nunc longo consumpta jacent tot munera saeclo :  
 12       at quis non sacri dona Maronis habet ?

IN MATONEM

C\_127   v.1     Nescio, quae tua sint, Mato taetrice, fata, sed illa

2           miror, et admiror, deficioque stupens.  
 3   Evadit quisquis, te vult cantare, poeta ;  
 4           musa alacris properat sponte, rogata nihil.  
 5   Ridet, qui senio torpet, ridetque juvena,  
 6           et pueri nasum Rhinocerontis habent.  
 7   Ipse furis, queriturque tibi Parnassus ; ineptis ;  
 8           crede mihi, numquam par tibi nasus erit.

IOANNI BURGER, SODALI SUO

C\_128   v.1    Quid mihi Acorontea crines perfundere myrrha,  
           2           aut juvat Attalico succubuisse toro,  
           3   insanus si saevit amor, si dura puella  
           4           me negat in molli velle fovere sinu ?  
           5   Non mihi lux grata est, nec noctis amior umbra ;  
           6           omnia nam tristi tempora felle madent.  
           7   Me gelidae nubes, canisque armata pruinis  
           8           bruma videt, dura ponere corpus humo.  
           9   Sub Jove nudus ago Riphaeae frigora noctis,  
 10           et miser occlusis excitor in foribus.  
 11   Excitor in foribus, sanctum quoque limen adoro,  
 12           quod tetigit tenero chara puella pede.  
 13   Amplector niveo rigidos pro corpore postes,  
 14           et dominam demens fingo tenere meam.  
 15   Oscula do foribus, tamquam sit sensus in illis ;  
 16           molliat ut gressus janua surda meos.  
 17   O utinam in caro vitam quoque limine ponam,  
 18           et dominae ante fores busta sepulta cubent.  
 19   Nostra etenim quisquis transibit funera, dicet :  
 20           Qui jacet hic, teneri miles amoris erat.

VALENTINO KRAUS MEDICO

C\_129   v.1    Non mihi sanguinei rabies Mavortis et ira,  
           2           falCIFerique nocet frigida stella senis.  
           3   Nec qui praecipiti delabitur igne cometes,  
           4           dum fera terribili nuntiat arma juba.  
           5   Vulnera mitratae formido sola cohortis,  
           6           vulnera non medica consolidanda manu :  
           7           sed mihi sunt vires, animique ad bella feroces,  
           8           nostraque vipereo tela cruore madent.  
           9   Vos modo marticolae, fidissima turba sodales,  
 10           fortiter ad bellum pergite, signa canunt.

MICHAELI VITEZIO

C\_130   v.1    Blandus Amor faciles nobis jam suggerit alas,  
           2           jam mitem ambobus se dedit alma Venus.  
           3   Est tibi flavus Hylas ardor, mihi fuscus Iollas ;  
           4           ille tibi sensus abstulit, iste mihi.

5 O quotiens posui (dulce est meminisse malorum)  
 6 ante fores dura flebile corpus humo.  
 7 O quotiens vacuo prostratus uterque cubili  
 8 noctem perpetuis traximus in lacrimis.  
 9 Ac nunc deliciis fruimur sine fine beatis ;  
 10 ducimus optato tempora colloquio.  
 11 Oscula carpuntur, lepidi cantantur amores,  
 12 tractantur facili dulcia plectra manu.  
 13 Quod si perpetuo maneant haec gaudia nobis,  
 14 spernamus superi tecta superba Jovis.

## DE HYLAE AD POMPONIIUM LAETUM

C\_131 v.1 Ut flos impresso languet contusus aratro,  
 2 ut riget amissa spina relictæ rosa ;  
 3 sic mihi sordet Hylas vitio pollutus iniquo,  
 4 et penitus toto decidit ex animo.  
 5 Decidit albus Hylas, fuscus successit Iollas ;  
 6 hic solus nostro dignus amore fuit.  
 7 Est aliquid libasse simul Permessidos undas,  
 8 Musarumque choris applicuisse manum.  
 9 Languet amor, tenerae quem junxit gratia formae,  
 10 quem peperit virtus alma, perennis erit.

## AD IULIAM

C\_132 v.1 Juro per horrendae signa intemerata paludis ;  
 2 juro per ignivomi tela trisulca Jovis.  
 3 Juro per intacta natum de virgine Christum ;  
 4 juro per angelici numina magna chori,  
 5 quod te plus oculis, plus ipsa diligo vita,  
 6 et nihil in toto gratius orbe mihi est.  
 7 Si fallo, Tityi carpant mea membra volucres ;  
 8 Tisiphone rapidum torreat igne jecur ;  
 9 At si vera loquor, Veneris rogo numina supplex,  
 10 ut fruar amplexu nocte dieque tuo.

## AD CORNELIUM VITELLIUM

C\_133 v.1 Barbara gens Latio numquam satiata cruore,  
 2 cui fera vipereum torquet praecordia virus ;  
 3 jam cupit unanimes armare in bella sodales ;  
 4 sed frustra ; non celsa prius Styx abluet astra,  
 5 et Tartessiaco remeabit ab aequore Titan,  
 6 quam subeant animum Corneli obliviam nostrum.  
 7 Te sine nulla mihi quaeretur gloria, nullus  
 8 te sine surget honos ; juvenes domus una tenebit,  
 9 una senes, nosque urna duos teget una sepultos.

## DE ANNULO CAELATO

C\_134 v.1 Exemptam media de Palladis aegide dicas  
 2 Gorgona, quam parvo claudit in orbe lapis.  
 3 Tam similis non ipsa sibi est, se forsitan olim  
 4 vidit, et e speculo saxea facta suo est.

## DE DOMO SUA

C\_135 v.1 Alcidae sacrata domus ! Procul omnis abesto  
 2 femina, castus Hylas limina nostra petat.

## GABRIELI GUETRATER IURIS LICENTIATO

C\_136 v.1 Grata salutiferi celebras dum balnea fontis,  
 2 hic ubi conspicuis membra foventur aquis ;  
 3 si bene te novi, tenero succumbis amori,  
 4 amplexusque tenet Nympha beata tuos.  
 5 Et modo anhelanti dare dulcia basia lingua,  
 6 nuncque latus lateri continuasse juvat.  
 7 At cum terribilis turgescunt ora Priapi,  
 8 inseris assiduis vulnera vulneribus.  
 9 Haec eadem socii faciunt, calor omnibus idem ;  
 10 sanguineo geritis bella cruenta toro.  
 11 Sitque licet canus, pulchras Leonardus amicas  
 12 optat, et a crapula qui sibi nomen habet.  
 13 Haec mihi Praepositus mira gravitate verendus  
 14 rettulit, obscaenos non amat ille jocos.  
 15 Vive tamen felix, nec mollibus abstine cunnis ;  
 16 interea et Balbi sit tibi cura tui.

## IN BARTHOLDUM BRITANNUM SUPERBUM

C\_137 v.1 Sis licet usque pius, mediocri et sorte beatus,  
 2 non tamen haec gravitas usque ferenda tua.  
 3 Jam gravis es Phoebo, gravis es Bartholde Lyaeo,  
 4 et tua Parnassus pondera ferre nequit.  
 5 Non honor es, sed onus sacris Bartholde Camenis,  
 6 cum tua ventoso pectore membra quatis.  
 7 Ore Chimaera truci vix tanta mole movetur,  
 8 aut inter Siculas dux Polyphemus oves.  
 9 Quid loquor heu demens solers natura Britannum  
 10 effinxit tanta cum gravitate : bene est !  
 11 Ut si fessus Atlas collo nutante laboret.  
 12 Sustineas humeris astra Deosque tuis.

## IO. VITEZIO VESPRIMIENSI AC VIENNENSI EPISCOPO

C\_138 v.1 Unde rear sacrum, Praesul mitissime, fontem  
 2 prosiluisse novo per loca culta sinu ?  
 3 Frigidior Geticis elabitur unda pruinis ;  
 4 purior electro, candidiorque nive.  
 5 Circum prata virent Zephyro contenta colono,  
 6 et variae dulci voce queruntur aves.  
 7 Colludunt placidis madido pede Naiades undis,  
 8 Naiadumque natat crimine raptus Hylas.  
 9 At pharetratus Amor geminas hic abluit alas,  
 10 et sedet in viridi margine laeta Venus.  
 11 Fessa Diana tamen variarum caede ferarum  
 12 cum venit, his posita veste fovetur aquis.  
 13 Blanda cohors Satyrum levibus permixta Napaeis  
 14 ludit, et arentem pellit in amne sitim.  
 15 Quin etiam sacrae contempto Helicone Camenae  
 16 haec pro Castalio pocula fonte bibunt.  
 17 Ut reor, eversa formosus aquarius urna  
 18 has tibi de supero vertice misit aquas.

## IN ARNOLDUM PARDONEM

C\_139 v.1 Deseris Adriacos celeri pede Pardo penates,  
 2 tam cito natalis cura relictæ soli est ?  
 3 Nec te lar patrius, nec te pia mater euntem  
 4 detinuit ; fratrum gratia nulla fuit ?  
 5 Quanta tabernarum strages, quam multa peribunt  
 6 pocula ; ficedulis quanta ruina venit ?  
 7 Te reor antiquo majora alimenta furori,  
 8 stultitiaeque aliquid accumulasse novi.  
 9 Crede mihi, veteris vera est sententia dicti :  
 10 Qui furit, hic omni tempore stultus erit.

## IOANNI CRACHENBERGER, REGIO SECRETARIO

C\_140 v.1 Clare poeta, meo crescentes pectore flammæ  
 2 inspice, et optatam, si potes, affer opem.  
 3 Paene puer fuerat, cum Balbus amore periret ;  
 4 jam vir barbarico Balbus amore perit.  
 5 Quid faciam, mihi nulla patent commercia linguae,  
 6 nec Latios novit cara puella sonos.  
 7 Non mihi divitiae, nec opes praestantur avitæ,  
 8 per quas saepe ferox conciliatur amor.  
 9 O utinam properet mihi fila novissima Clotho  
 10 solvere, et aetatis sit brevis hora meae.  
 11 Nec mea solemni ducantur funera pompa,  
 12 inscriptis tophus protegat ossa notis.  
 13 Me Veneti genuere lares, formosa Vienna  
 14 abstulit ; agnovi carmina, jura, polos.  
 15 Cum totiens peream, totiens comburam ab igne ;  
 16 una salus superest, posse perire semel.

## LUCAE SCHNICZER, CONSILIARIO REGIO

C\_141 v.1 Ingenii solers, et rebus natus agendis,  
 2 candida qui clarae nomina lucis habes ;  
 3 si sapis, assiduo madeant tua tempora Baccho,  
 4 semper et in laetis otia rebus age.  
 5 Falsa superstitio longum durata per aevum,  
 6 credere, Tartareum sontibus esse locum.  
 7 Quid styga, quid lemures, quid inania regna timemus ?  
 8 Cur animos torquet fabula vana pios ?  
 9 Cum primum varias sumpsere elementa figuras,  
 10 fixum erat, immenso quidquid in orbe fuit.  
 11 Fata immota manent, Parcarum immobilis ordo est,  
 12 et nihil aeterna condicione vacat.  
 13 Sit tibi vita alacris casta cum conjuge, et ambos  
 14 natorum cingat pulchra corona senes.

## MAGNO DE HONBERG, IURISCONSULTO PERITISSIMO

C\_142 v.1 Magnus es eloquio, legum quoque dogmate magnus ;  
 2 hinc mensura tui nominis esse reor.  
 3 Sume patrocinium sacri laudabile vatis,  
 4 cui rabido latrat turba canina sono.  
 5 Ista bonae fidei seu dicitur actio, sive  
 6 nobile selecti iudicis officium.  
 7 Sive interdicatorum sit genus, unde repulsus  
 8 vi fueram, proprio restituuisse loco.  
 9 Magna peto ; Claria sed quis te major in arte ?  
 10 Justa peto ; quis te justior alter adest ?

## DE DEO SOMNO

C\_143 v.1 Somne, quid oppressos pueri confundis ocellos,  
 2 candidaque infuso membra sopore gravas ?  
 3 I procul atque toros agita sine amore tepentes,  
 4 longaeuque petas frigida membra senis.  
 5 Te propter juncti totiens solvuntur amantes,  
 6 te propter Veneris foedera rupit Hylas.  
 7 I procul, aut pueri si te quoque gaudia tangunt,  
 8 blandus amor dederit cum sua dona, veni.

## DE LUCIFERO AD WOLFGANGUM SACKH

C\_144 v.1 Lucifer alme veni, nostros visurus amores,  
 2 cum jubare aurato Lucifer alme veni.  
 3 Cum primum Eoo rutilabit Phoebus ab axe,  
 4 nostra verecundus tecta subibit Hylas.

5 Phoebe nimis cessas, quid gaudia nostra moraris ?  
 6 Phoebe veni, vatis si tibi cura tui est !  
 7 Sed tamen Oebalio fac sis contentus amore,  
 8 ne Boreas nostrum saeviat in puerum.  
 9 Tuque Aurora veni, prima satiata rapina,  
 10 pro Cephalo, vereor, ne rapiatur Hylas.  
 11 Heu, heu nascenti non cedit Cynthia Phoebo,  
 12 Cynthia formosum cernere gaudet Hylam.  
 13 Improbata luna late mediis emersa sub undis  
 14 neu rape, quod nostris carius est oculis.  
 15 At tu blande puer media vel nocte venito ;  
 16 purior aestivo nox erit illa die.

LEONARDO WULFFING, VIENNENSI OFFICIALI DIGNISSIMO

C\_145 v.1 Accipe facunda quos scripsit voce libellos,  
 2 gloria Romani Tullius eloquii.  
 3 Pigra soporiferae fugias quibus otia Lethes,  
 4 et releves curas cum Cicerone graves.  
 5 Munera parva quidem, magnum sed cernis amorem,  
 6 omnia praecipuus munera vincit amor.

AD CANDIDAM PUELLAM

C\_146 v.1 Candida candentes inter numeranda columbas,  
 2 candida candenti conspicienda coma.  
 3 Candida dextra tibi est, frons candida, candida cervix,  
 4 candidulaeque manus, candidulique pedes.  
 5 Collum vincit ebur, vincunt crystalla lacerti ;  
 6 vincunt candentes lilia cana genae.  
 7 Phoebeus tibi cedit olor, ceduntque pruinae,  
 8 cedit Erythraeis eruta gemma vadis.  
 9 Sed niger est cunnus, nigrorum est silva pilorum ;  
 10 hoc nisi te laedat, candida tota fores.

SIMONI UNGERSPACH, THESAURARIO GENERALI AC SENATORI REGIO

C\_147 v.1 Aurum bella gerit, mucronibus imperat aurum ;  
 2 aurum ventosis vela dat aequoribus.  
 3 Evertitque urbes, et moenia diruit aurum,  
 4 delet et extructis oppida celsa rogis.  
 5 Tolle aurum, nullae vitiantur in orbe puellae ;  
 6 tolle aurum, nullus peccat in orbe puer.  
 7 Aurum igitur si quis nobis, Simo maxime, donet,  
 8 carminibus nostris aurea vena foret.



## DE LILIO REGIS FRANCIAE AD RAYMUNDUM, CARDINALEM GURCENSEM

C\_148 v.1 Rosas immitis populatur aetas,  
 2 aureas frondes Jovis ira saevi  
 3 delet momento, fragilisque cessat  
 4 gratia florum.  
 5 Sed fortis rupes Hicinis furorem  
 6 vincens, et morsus properantis aevi,  
 7 servat (o mirum) peritura nullo  
 8 lilia saeclo.  
 9 Nusquam formident Aquilonis atri  
 10 flatus, nec missas resonante caelo  
 11 grandines ; forti modo si tegantur  
 12 lilia rupe.  
 13 Hanc colit Phoebus posita pharetra,  
 14 comasque vinctae levibus corollis  
 15 gratiae molles, facilisque dempta  
 16 aegide Pallas.  
 17 Hanc nec irati rabies Tonantis  
 18 vexat ; nec fluctus maris aestuosi ;  
 19 hanc cavent imbres, metuuntque saevi  
 20 laedere nimbi.

GUILLELMO DE RUPE FORTI SERENISSIMI REGIS FRANCIAE CANCELLARIO  
CARMEN BUCOLICUM.

## ARGUMENTUM ECLOGAE

C\_149 v.1 Balbus inops fluctu crudelique obrutus austro  
 2 confugit ad te munimina fortia rupis.

## POETA

3 Gramineae Corydon projectus margine ripae ;  
 4 Sequana labenti qua flexilis obstrepit unda,  
 5 aestus vicini pellebat fluminis aura :  
 6 obvius ecce venit puer Itacus et puer Alcon ;  
 7 voce pares, forma similes, natalibus idem ;  
 8 ille gregis custos, huic horti cura feracis.  
 9 Qui sua communi maerentem fata querela  
 10 captabant calamis duri solacia casus.  
 11 Hos Corydon (nec enim carmen triviale sonabant)  
 12 novit, et o pueri quis vos Deus (inquit) acerba  
 13 sorte premit, laevoque obducit nubila vultu ?  
 14 Vestra quidem merito jam vos designat honore  
 15 fistula, quae toto resonat dulcissima pago.  
 16 Finierat ; querulo sic Alcon incipit ore :

## ALCON

17 Mille sub Euganeis pascebam collibus agnas,  
 18 matribus a totidem (culmo cum mitis hirundo  
 19 figit opus) niveas demebam forcipe lanas.  
 20 Quid memorem, numerosa meis ut buccula saeptis  
 21 clausa superfuso replebat Cymbia lacte ?  
 22 Nonus ab undecimo mihi jam successerat annus ;  
 23 ecce, aurem vellens dixit ruralis Apollo :

24 "Linque puer saltus, et ovili cede vetusto ;  
 25 laurigeraeque veni sub amoena cacumina rupis."  
 26 Ut veni, ut jacui, ut me mala pressit egestas ;  
 27 nec cessare sacro licuit sub tegmine rupis ;  
 28 nunc vagor alitibus per devia rura sinistris :  
 29 proh dolor ! Hiberna jejunia pellere quercu  
 30 cogor, et e duris excerpere mora rubetis.

## ITACUS

31 Me quoque sors eadem peregrinum visere caelum  
 32 compulit ; ah patrii neglecta est glarea ruris ;  
 33 glarea parva quidem, multis sed fertilis herbis.  
 34 Hic olus et tardos acuens eruca maritos,  
 35 capparis, ignavoque rumes placitura palato.  
 36 Et lactuca recens, teneris et brassica fibris.  
 37 Nec satureia favis, nec mensae ingrata sinapis.  
 38 Hic virides apii crines, et olentia late  
 39 serpylla, et Lybici genitalia gramina bulbi.  
 40 Quin etiam arboreos foetus mihi cura tueri :  
 41 foederibus blandis varios miscere sapes  
 42 suetus, adoptivaque nemus confundere gemma.  
 43 Sic secura quies, facilisque ex arbore victus  
 44 semper erat, dapibusque famem solabar inemptis ;  
 45 nunc me gramen inops cytisi, lacrimosaque pascit  
 46 cepa, levoque sitim caenosi gurgitis unda.

## CORIDON

47 Corde fugate metum pueri, sedare dolorem  
 48 discite, et afflictis numquam diffidere rebus.  
 49 Vidimus obscuros densa caligine nimbos,  
 50 post tamen arrisit puri clementia caeli.  
 51 Et licet usta seges siliquis fallacibus olim  
 52 agricolas ludat ; licet interversa malignum  
 53 gleba ferat lolium, sterilisque albescat avena ;  
 54 saepe tamen laetis flavescit campus aristis.  
 55 Nunc operae pretium est, dulces inflare cicutas ;  
 56 forsitan audita rupes mitescet avena,  
 57 carmen et irati rabiem compescere fluctus  
 58 creditur, et rigidas deducere montibus ornos.  
 59 Orpheus infernos placavit carmine manes ;  
 60 Amphion silices movit, Delphinas Arion.  
 61 Ergo agite, alterno distinguite juba cantu.  
 62 Alcon primus erit, tu proximus Itacus ibis.

## ALCON

63 Omniparens tellus, et rerum Juppiter auctor,  
 64 quique tuo signas labentia tempora motu,  
 65 Phoebe pater, rebusque potens Venus alma creandis ;  
 66 et montana Pales, et pastoralis Apollo,  
 67 ferte pedem, votisque meis spirate secundi,  
 68 ut fruar optatae forti munimine rupis.  
 69 Quisque petat, quod amat, nos sola rupe fruamur.

## ITACUS

70 Nymphae ruris honor, Dryades, quaeque antra Napaeae  
 71 quaeque secant liquidas madido pede Naiades undas,  
 72 et redimita comas levibus Pomona corymbis ;  
 73 sistite me forti (si qua est clementia) rupe.  
 74 Vobis victor ego nostro de rure quotannis  
 75 primitias, mixtisque dabo pia thura corollis.

76 Quisque petat, quod amat, nos sola rupe fruamur.  
ALCON

77 Cernite triste pecus, corrosis tabida membris  
78 ut laedat scabies, et lento pustula virus.  
79 Non levat elleborum, nec amaro sulphura nitro,  
80 Naryciaeve pices, lentave bitumen amurca.  
81 Si pecus hoc rupes sub amoena protegat umbra,  
82 jam foetura gregi superabit laeta salubri.  
83 Quisque petat, quod amat, nos sola rupe fruamur.  
ITACUS

84 Quamvis siccus ager sitientibus aestuet herbis,  
85 rupe sub hac placidi nitet indulgentia veris ;  
86 quam natura parens viridanti gramine vestit ;  
87 spargit odore Venus ; pingit Dea Flora colore,  
88 pallescunt violae, rutilo rosa purpurat ostro.  
89 Alba ligustra micant, flavet coma lutea caltae.  
90 Quisque petat, quod amat, nos sola rupe fruamur.  
ALCON

91 Rupe sub hac Faunique colunt, Satyrique bicornes,  
92 Lenaeusque pater, Phoebos Parnassia rupes  
93 grata minus, minor est Grynei gratia ruris ;  
94 hic pax, atque fides ; ludit cum tigride dama,  
95 lambitur agna lupa, feritas non asperat Ursos ;  
96 nec latet occulto serpens armata veneno.  
97 Quisque petat, quod amat, nos sola rupe fruamur.  
ITACUS

98 Populus hic albet, platanus viret, apta Dione  
99 myrtus fructificat, Phoebaeque germinat arbor ;  
100 has celebrat frondes, et amicas vatibus umbras,  
101 quicumque Aonio sua proluit ora liquore,  
102 terrenosque iterum si Tityrus induat artus,  
103 hanc coleret felix contempta Amaryllide rupem.  
104 Quisque petat, quod amat, nos sola rupe fruamur.  
CORIDON

105 Dulce quidem canitis ; nec vos bonus odit Apollo.  
106 Auguror, o pueri, flatu levis aura benigno  
107 spirabit, meliusque feret sors mobilis aevum.  
108 At nunc jucunda laxemus seria mensa.  
109 Sunt mihi namque novo compacta coagula lacte ;  
110 nec fumosa carent sicco carnaria tergo ;  
111 sunt pira, sunt longa pendentia mala genista ;  
112 ficus, et exigua vestita Cydonia lana.  
113 Et jam sudantes referunt juga fessa juvenci ;  
114 nubila densantur, revehitque crepuscula vesper.

BARTHOLOMAEO STABER, MEDICO INSIGNI

C\_150 v.1 Docte Machaonio morbos expellere succo,  
2 nec minus optati viribus eloquii.  
3 Amissas reparas male sano in corpore vires,  
4 ingrediturque novus aegra per ossa vigor :  
5 tu revocas Manes Acherontis ab orbe remissos ;  
6 Pluto dolet lusus, lusa Megaera dolet :  
7 frangere cum properet jam fila novissima Clotho,

8           jungis adhuc vacuo stamina longa colo.  
 9       Aspice, ut aestivi correptus sidere morbi,  
 10       exspectem tetricas in mea fata Deas.  
 11       Ut mihi succurras, studii commercia poscunt ;  
 12       vatibus, et medicis unus Apollo favet.  
 13       Si mihi parta salus, veluti Phlegethontis ab imis  
 14       sim revocatus aquis, viribus alter ero.

PAULO WINGARTMAN, AMICO SUO

C\_151   v.1     Desine mirari, nostrorum irrisor amorum,  
           2           si rapuit sensus Julia cara meos.  
           3       Hoc faciunt niveo radiantes fronte capilli,  
           4           labraque Paestanis invidiosa rosis.  
           5       Hoc faciunt minio vultus, et lacte decori,  
           6           collaque Sithonia candidiora nive.  
           7       Hoc faciunt oculi Phoebey signa nitoris,  
           8           qui retinent, oculi sidera bina mihi.  
           9       Hanc propter dulces contemnis Iacche liquores ;  
 10       deseris hanc propter gramina flava Ceres.  
 11       Illius agrestes flectuntur amore myricae ;  
 12       illam etiam fontes, et nemus omne colit :  
 13       illius et quercus, et cedunt saxa figurae ;  
 14       illa feras, homines, subjugat illa Deos.  
 15       Ergo meos tandem mirari desine amores ;  
 16       mirum est, in tanto si grege Balbus amat ?

DE IURE CIVILI

C\_152   v.1     Saeve Draco, facunde Solon, generose Lycurge !  
           2       Vos sequor, a vobis nullo divellar in aevo.  
           3       Prima pharetratos aetas sat lusit amores :  
           4       frango chelym, numerosque leves, et ludicra pono.

MICHAELI VITEZIO

C\_153   v.1     Dulcia Pelignum redolent tua carmina nectar ;  
           2           o mihi Orestea juncte poeta fide !  
           3       Et tibi Phoebus adest, et adest sacra turba sororum ;  
           4           seria sive velis, sive jocosa sequi.  
           5       O dilecta Deis ; o felicissima tellus !  
           6           In qua tu fausto sidere progenitus.  
           7       Per te Pannonium migravit Phoebus in orbem,  
           8           mixtus et Aoniis defluit Ister aquis.

EPISCOPUM VESPRIMIENSEM AC VIENNENSEM.  
ELEGIA

C\_154 v.1 Pontificale decus, nostro memorabile saeclo ;  
2 accipe Vitezii munera pauca tui.  
3 Horrida grandisono canat alter bella cothurno,  
4 martia quae Gallo Roma sub hoste tulit ;  
5 fraternasve acies et notos caede Philippos,  
6 et Ptolomaeo funera facta solo.  
7 At mea Musa tuas numeroso carmine laudes  
8 dictet, inaequali conspicienda pede.  
9 Mox te grandiloquo referam (modo vita supersit)  
10 carmine ; Smyrnaeo concomitante choro :  
11 os tibi mite quidem ; sed pectus mitius ore ;  
12 non alia antiqui forma Catonis erat.  
13 Supplicibus facilis, tumidos scis vincere ; felix  
14 cui datur ex omni noscere vera loco.  
15 Quanta serenati radiat clementia vultus ?  
16 Nec quisquam a miti principe tristis abit.  
17 Sic Titus orbis amor, Romanae gloria gentis  
18 audiit a populo vota petita suo.  
19 Docta Maroneo tu proluis ora liquore,  
20 eloquiiq; nitent flumina larga tui.  
21 Sacrarum nosti numerosa volumina legum ;  
22 jura quidem memori pectore cuncta tenes.  
23 Nec te Thersiten, potius sed Nestora dicam,  
24 qui bene tam noris, tam graviterque loqui.  
25 Hinc tibi sacratae regum praestantur habenae,  
26 omniaque arbitrio stantque, caduntque tuo.  
27 Nec nocuit fortuna tibi, sed victa pudore  
28 se facilem tanto praebuit illa viro.  
29 Sint alii certe terrena labe creati ;  
30 te liquet aethereo semine progenitum.

AD POMPONIUM LAETUM, PRAECEPTOREM SUUM  
EPISTOLA

C\_155 v.1 Nil mirere meae diuturna silentia Musae  
2 Pomponi, Latiae gloria prima lyrae.  
3 Nam modo sacra tuo qui proluit ora liquore  
4 Pannon, barbarico nunc levat amne sitim.  
5 Ille pius vates, purique Heliconis alumnus  
6 heu jacet Arctois, qua furit Ister, aquis.  
7 Proque Helicone bibit caenosi gurgitis undam,  
8 aut ubi limosis rana coaxat aquis.  
9 Non caput hoc laurus, sed funere rapta cupressus  
10 cingit, et e Stygiis eruta taxus aquis.  
11 Strata licet gelidis Symechia rura pruinis,  
12 Vesprimiique colam jugera culta soli.  
13 Te sine nulla dies, sine te nox nulla futura est ;  
14 fixus eris cordi semper amice meo.  
15 Rexisti tenerae tu fortia lora juventae ;  
16 te duce Castalio mersimus ora lacu.  
17 Si violasse tuae videar data foedera dextrae,

18           da veniam ; saevus id mihi jussit amor,  
 19       qui tolerare famem, duros tolerare labores  
 20           cogit, et immiti vivere servitio.  
 21       Nostra adamanteis devinxit colla catenis,  
 22           et regit ad nutum pulchra Perilla suum.  
 23       Nec sinit, ut repetam septenae moenia Romae ;  
 24           moenia iudicio semper amata meo.  
 25       Quod si forte ferox laxet sua vincla Cupido,  
 26           ut fracto ducam libera colla iugo,  
 27       ad te Parrhasio veniam vestitus amictu,  
 28           et summo lapsus credar adesse polo.  
 29       Et tibi dona feram gelida collecta sub Arcto ;  
 30           dicam, Pomponi, munera parva cape.  
 31       Dona serenato, quo conspicias omnia, vultu  
 32           accipies, meritis dona minora tuis.  
 33       Devehat hanc niveo signandam vellere lucem,  
 34           quamprimum Eois Lucifer albus equis !

AD IO. BAPTISTAM CALVUM, SODALEM  
 EPISTOLA

C\_156   v.1       Junctus amicitiae stabili tibi foedere, et idem  
           2       tecum Castalios suetus adire lares,  
           3       Mittit ab Arctoo, quam mallet ferre salutem  
           4       vertice, et armata verba notata manu.  
           5       Ille quidem gelido cunctatur in orbe ; sed adsum  
           6       littera sermonis fida ministra sui.  
           7       Crede licet gelidos Boreae colat ipse recessus,  
           8       aut ubi stat rapido Zona perusta polo ;  
           9       non tamen ulla tui venient obliviae vultus,  
 10       decidet et nullo tempore lapsa fides.  
 11       Illum etiam in cineres cum mors mutaverit atros,  
 12       immemor haud meriti est umbra futura tui.  
 13       Grande putat meritum, quod cum comitatus euntem es,  
 14       sparseris indignas imbre fluente genas.  
 15       Grande putat meritum, peregrino solus in orbe  
 16       quod tuleris promptam, cum foret aeger, opem.  
 17       Ut reliqua omittam ; quid agat, si forte requiris,  
 18       deducatve quibus tempora laeta jocis,  
 19       ille nec Aonidum per amoena vireta sororum  
 20       ludit, honorato nec levat amne sitim.  
 21       Proh pudor ! Indulget dapibus, Bromioque furenti,  
 22       sic jubet Arctoo terra subacta polo.  
 23       Non ibi diligitur, nisi qui cratera profundum  
 24       siccat, et annoso pocula plena mero.  
 25       Pannonii posuere truces solacia largo  
 26       nectare, vel ludis, perpetuoque cibo.  
 27       Talibus invigilant rebus noctesque diesque,  
 28       quos inter socius cogitur esse tuus.  
 29       Non choreae, cantusque juvant, non plectra lyraeque ;  
 30       absunt deliciae, Roma beata, tuae.  
 31       Barbara perpetuo vexantur tecta duello,  
 32       et grave muralis machina pulsat onus.  
 33       Tela cruore madent, albescunt ossibus arva ;

34 pax nullo est miseris tempore, nulla quies.  
 35 Cur nec adhuc rediit, mirum fortasse videtur ;  
 36 non tenet hunc blandis culta puella jocos.  
 37 Cynthia crudelis procul est, procul ipsa Camilla ;  
 38 est Cristilla procul ; est procul Orca fera,  
 39 non est hic Lenas, non hic immitis Iolla,  
 40 nec sua quae rapuit pectora Phyllirhoe.  
 41 Dulcia nec flagrant vibrantibus oscula linguis,  
 42 morsave candidulo dente labella tument.  
 43 Proh dolor ! Ille sacer volitantis lusor amoris  
 44 nunc gerit audaci pila cruenta manu.  
 45 Castraque barbaricis sequitur fulgentia signis ;  
 46 nec trepida raucas suscipit aure tubas.  
 47 Eminus et pharetra, falcato cominus ense  
 48 pugnat, et in duris tempora rebus agit.  
 49 Et modo Turcarum saevas domuisse phalanges,  
 50 nunc placet hostili ponere castra solo.  
 51 Semper tela, aciesque juvant clypeique micantes,  
 52 nocte caret somno, luce quiete caret.  
 53 Quod sibi si flatu spiret fortuna secundo,  
 54 et veniat coeptis mollior aura suis,  
 55 optabit celeres Medee scandere currus,  
 56 Mercuriique pedes, Triptolemive rotam ;  
 57 ut cito barbarica possit regione relicta  
 58 quaerere Romuleo moenia structa solo,  
 59 et petere optatos fraterna mente sodales,  
 60 milleque depulsa basia ferre mora.  
 61 Interea dum bella fremunt, dum tela coruscant,  
 62 mittit ab Arctoo verba legenda polo.  
 63 Nulla quies lateri, fuerit cum fessa voluptas  
 64 mutua, blanditiis est revocanda Venus.  
 65 Post mortem si sensus inest, meminisse juvabit  
 66 gaudia ; si nihil est, haec rapuisse juvat.

SIGISMUNDO DE POLHAYM, ET CHRISTOPHORO DE HOCHENFELD, REGIIS SENATORIBUS

C\_157 v.1 Dum pudor et probitas meliori fulsit in aevo,  
 2 barbatos aluit Martia Roma viros.  
 3 Barbatus vixit Fabius, reducesque Camilli,  
 4 et quorum titulis Punica regna jacent.  
 5 At postquam luxus mores flexere pudicos,  
 6 et coeptum est, teneros prostituisset mares ;  
 7 femineos sumunt posita lanugine vultus,  
 8 mollitiemque animi prodere fronte juvat.  
 9 Caesaries inculta viros prolixaque barba  
 10 ornat, et horrentes hirta per ora pili.  
 11 Servet molliculos imbellis femina vultus ;  
 12 triste supercilium forma virilis amat.  
 13 Ut folia arboribus, teneris ut pampinus uvis ;  
 14 sic est magnanimis barba decora viris.  
 15 Volsellae, et strigiles, et acuta novacula quantum  
 16 dedecus, aetatis posterioris habent.  
 17 At vos ut priscos virtute aequatis honores ;  
 18 sic cultu veteris signa refertis avi.

## ANDREAE CROATO DE LAPACH, SENATUS REGII MARESCALLO

C\_158 v.1 Piniferis nutrite jugis, nec stemmate claro,  
 2 nec virtutis egens, veteri de gente Curetum  
 3 turba audax, rapti cunabula prima Tonantis  
 4 liquit, et Adriaco circumflua litora ponto  
 5 elegit ; geminas anguis qua separat Arctos.  
 6 Hinc satus egregiis extendis nomina factis ;  
 7 religione Numam, priscum gravitate Catonem  
 8 vincis, et insignem patria pietate Metellum.

## BARTHOLOMAEO MODRUSIO, REGIO CONSILIARIO

C\_159 v.1 Dic, rogo, scrutator gemini celeberrime juris,  
 2 cur lepidum damnet turba profana melos ?  
 3 Estne furor ? Capitisve minutio maxima ? Versu  
 4 pande Medusaei dulcis alumne chori.  
 5 Quem non naturae fallunt arcana potentis,  
 6 non homini quidquid fas didicisse fuit.  
 7 Nestora melliflua potis es superare loquela ;  
 8 o mihi perpetua concelebrande fide.  
 9 Nullus amicitiae nodus valet arctior esse,  
 10 quam si virtutis pectora nectat amor.

HIERONYMUS BALBUS, UTRIUSQUE IURIS DOCTOR,  
CHRISTOFORO DE LIECHTENSTEIN, MARESCALLO AUSTRIAE

C\_160 v.1 Austriacae telluris honos, quem Martia tollit  
 2 gloria, et extensis volitans victoria pennis,  
 3 te gelidi timuere Scythae, te dirus Alanus  
 4 horret, et argenti constrictus Sarmata ponto.  
 5 Neglecta quotiens unda (cum Sirius ardet)  
 6 tela inimica petis ; quotiens sub nubibus actae  
 7 Alpinaeque nives, pigrique hiberna Bootae.  
 8 Scis, quo castra loco, quae sit custodia vallo  
 9 aptior ; expediat planone educere campo,  
 10 an cuneis densare aciem, quae commoda fraudi  
 11 vallis, et incerto quae sit fiducia Marti.  
 12 Quadrupedante vagas si quando concutis alas ;  
 13 quis melior simulare fugas, quis certior arcum  
 14 tendere, et obliquos cursu deludere cursus ?  
 15 Primus inis pugnas, primus speculator in hostem  
 16 ingruis ; inde ferox exercitus arma lacescit,  
 17 exemploque ducis totum componitur agmen.  
 18 Si litui siluere truces, ut robur in armis,  
 19 sic probitas in pace nitet, gaudesque cruentam  
 20 loricam mutare toga ; tranquilla potestas  
 21 imperat, et segura quies, nil gratia suadet,  
 22 nil odium cogit ; tumidos non prospera fastus



23 exacuunt ; irae parcus, sed pacis abundans.  
 24 Quo feror ? Ista queat digno praeconia cantu  
 25 nemo referre, suum ni Corduba dives alumnum,  
 26 sidereumque iterum mittat sacra Mantua vatem.

IOANNI WALDNER, AUSTRIAE CANCELLARIO SUPREMO

C\_161 v.1 Te graviore libet quotiens modularier oestro,  
 2 distrahor, et nimio premitur sub pondere cervix ;  
 3 Martis opusne canam ? Sed plus laudaris inermis ;  
 4 justitiam mirer ? Rigidi sed plena pudoris  
 5 inde rapit gravitas ; hinc mens praesaga futuri  
 6 corde tuo secreta sibi penetralia servat ;  
 7 sancta fides, placidique modestia pectoris index.  
 8 Supplicibus facilis, nulli implacabilis obstas.  
 9 Non odii stimulis, rabidave accenderis ira,  
 10 firma adamanteo constringis foedera nexu ;  
 11 pellitur ambitio, rebusque infestus opimis  
 12 livor edax, numquamque tuos obrepsit in actus  
 13 crimen avaritiae, tumidove superbia fastu  
 14 virtutum male fida comes, contemptor honesti  
 15 lusus abest, patriosque agitans discordia fines.  
 16 Cuncta quibus veteris fulgent insignia saeculi,  
 17 in te mixta fluunt ; priscaeque aetatis honores  
 18 solus habes ; omnis sub eodem pectore virtus  
 19 conditur, et major collectis viribus exit.

CASPARO DE ROSENDORF ET SIGISMUNDO DE NYDERTOR SENATORIBUS REGIIS

C\_162 v.1 Quid juvat, assiduis sua carpere pectora curis ?  
 2 Vita fugit volucris non reditura pede.  
 3 Stat cuicumque sui praefixus terminus aevi,  
 4 et nihil morte homini certius esse potest.  
 5 Interea niveas morsu leviole papillas  
 6 stringamus, tenuem dente premente notam  
 7 proeliaque alternent vibrantibus oscula linguis,  
 8 scalpaturque locis rima minuta suis.

AD CETRARIUM RIVALEM

C\_163 v.1 Aemule, qui nostro nimis insidiaris amori,  
 2 pperlege ab Arctoo carmina missa polo.  
 3 Axis innocidus gemina spectabilis Ursa  
 4 me tenet, insanis qua furit Ister aquis.  
 5 Tu frueris nitidae formoso corpore Lysae,  
 6 deque mea ponis vasta tropaea fuga.  
 7 Primus amor Cristilla fuit, fuit Orca secundus ;  
 8 successit Lenas, cui fera Phyllirhoe ;  
 9 quintaque inexhausto me torsit amore Camilla :  
 10 extremi Lisa causa furoris erat.

11 Hanc revocas blandis ad mutua furta tabellis,  
 12 deque meo gaudes eripuisse sinu.  
 13 O decus, o spolia, o verae praeconia laudis,  
 14 sic socio pactam contemerasse fidem !  
 15 Tu levior foliis vernaque incertior aura,  
 16 verba dabas celeri diripienda noto.  
 17 Fata inimica volunt, et conscia sidera fati,  
 18 ut caream vultu candida Lisa tuo.  
 19 Tergeminae nectant mihi stamina longa sorores,  
 20 spirabit votis mitior aura meis.  
 21 Pande sinus, quantumque potes, secet aequora puppis,  
 22 nam mediis fiet naufraga pinus aquis.  
 23 Forte sub ambiguo vellem quid claudere versu,  
 24 quaeris ; quod superest perlege, certus eris.  
 25 Dalmatico referam fulgentia dona metallo,  
 26 lecta vel Eois dona sub aequoribus.  
 27 Lisella occurret roseo spectabilis ore,  
 28 Lisella aethereo dignior axe frui.  
 29 Absque mora implicitis jungemus basia linguis,  
 30 ut cupido jungit alba columba viro.  
 31 Tunc petit, ut valeam boreali missus ab Arcto ;  
 32 dicam, quod valeo, si mea vita vales.  
 33 Forsitan et gratae certamina blanda Diones  
 34 miscemus, placido nocte juvante toro.  
 35 Festa dies aderit meliori stamine nexa,  
 36 quam nivea signet lactea gemma nota.  
 37 Tunc tibi Tisiphone diris accincta colubris  
 38 torrebit rapida pectus inane face.  
 39 Tunc Ixioneae nosces dispendia sortis,  
 40 et mediis fies Tantalus alter aquis.  
 41 Oedipodos mallet (ne quid modo tale videres)  
 42 supplicia, et vetuli noscere Tiresiae.  
 43 Vive tamen, sed vive miser sub amore sinistro,  
 44 et tibi sit Lisae copia nulla meae.

AD IO. BAPTISTAM DE ZOCULIS

C\_164 v.1 I, pete laurigeros celeri pede Musa penates  
 2 Baptistae, et brevibus ora resolve modis.  
 3 Ut noscam, an valeas, me misit ab axe Boreo  
 4 Pannon, inocciduo qua micat Ursa polo.  
 5 Qui licet arva colat Rhipaeis sparsa pruinis,  
 6 non cecidit memori pectore lapsus amor.  
 7 Carmina non redolent sacras Permessidos undas,  
 8 sed sunt barbaricis barbariora locis.  
 9 Quidquid enim gelidum scribit prostratus ad Istrum,  
 10 naturam redolet, ingeniumque loci.

EPITAPHIUM EIUS

C\_165 v.1 Dalmata me genuit, me sustulit Hungara tellus.  
 2 Dum vixi, aligeri miles amoris eram.

## EPITAPHIUM D. FRIDERICI CAESARIS

C\_166 v.1 Jura dedi terris, nunc me sacer abstulit aether,  
2 ut pia caelicolis pro Jove jura darem.

## ALIUD EIUSDEM

C\_167 v.1 Dum vixi mortalis eram, nunc Juppiter alter ;  
2 jam gemino dabitur thura Sabaea Jovi.

## IO. VITEZIO, VESPRIMIENSI, AC VIENNENSI EPISCOPO

C\_168 v.1 Maximus Alcides, totum qui viribus orbem  
2 vicit, et immota sustulit astra manu,  
3 pauperis Evandri tenues subiisse penates  
4 dicitur, et mensas parve Molorche tuas.  
5 Te quoque, sidereo Praesul dignissime coetu  
6 haud pudeat nostras concelebrare dapes.  
7 Jane serenato qui conspicias omnia vultu,  
8 reddas aspectu prandia laeta tuo.  
9 Este procul curae, duri procul este labores ;  
10 sint choreae, ludi, plectra, Cupido, merum.  
11 Quisque bibat ; sed pura bibas tu pocula largo  
12 nectare ; dumque bibis, talia verba sonent :  
13 "Sunt tibi, Praesul, opes, sit honor, sit gloria, splendor,  
14 et videat Pylios laeta senecta dies.  
15 Sint cito purpureo tua tempora cincta galero ;  
16 accedat culmen pontificale tibi.  
17 Candida fumoso madeant crystalla Falerno ;  
18 omnia jucundis sint loca plena jocis."  
19 Namque joco, et requie gaudet formosus Apollo,  
20 saepe racemifero est vincta Minerva Deo.  
21 Otia qui sumpsit, multo ferventius idem,  
22 postmodo virtutis grande peregit opus.

## LECTOR LIBRUM ALLOQUITUR

C\_169 v.1 Parve quid Austriacum properas liber ire per orbem ?  
2 Tutior in domini sedibus esse potes.  
3 Vera mones lector ; sed crebras ille lituras  
4 dum timet, in populo quaerit habere locum.  
5 Hoc tineas pasces ; fuero parte utilis illa ;  
6 quod natura parit, num rubor est alere ?  
7 Fudisti sumptus, quadrantibus fundimus octo ;  
8 hos compensabunt balnea rara mihi.  
9 Denique sive legar, seu non reprehendar, utrum vis  
10 da, utrum vis, nostro grandius est merito.

## AD ADRIANUM VI. PONT. MAX

C\_170 v.1 Sustulit Alcides nodosae robore clavae  
 2 monstra, novercales quae peperere doli.  
 3 Nunc quoque ne toto pax aurea surgat in orbe,  
 4 erumpunt Stygiis eruta monstra vadis.  
 5 Non tantum Diomedis equi, nec Taurus, et Hydra  
 6 obfuit, aut volucres, Marmaricusque Leo.  
 7 Quae paucis nocuere, sed haec furialis Erinnys  
 8 sacrilegum toto spargit in orbe nefas.  
 9 Adde, quae Herculeis tantummodo corpora monstris  
 10 exciderant, animas haec fera monstra necant.  
 11 Quae si sustuleris ; quanto mens corpore praestat,  
 12 Herculea tanto laus tua major erit.

## REVERENDISSIMO DOMINO BERNARDINO, CARDINALI S. CRUCIS

C\_171 v.1 Religio dulcisque comes sapientia caelo  
 2 elapsae in gremium desiluere tuum.  
 3 Utque tenet geminas caelestis regia Divas,  
 4 pectore sic Numen fulget utrumque tuo.

## REVERENDISSIMO DOMINO DOMINICO, CARDINALI GRIMANO

C\_172 v.1 Quod tibi purpureo sint tempora cincta galero,  
 2 quodque Pater Venetae Dux regat urbis opes,  
 3 magna reor, majora tamen, quod Numine ab ipso  
 4 mens tibi sit cunctis irradiata bonis.  
 5 Nam lituos, trabeas, fasces, diademata, lauros  
 6 saepe dat alterna fors adimitque manu.  
 7 At spes certa, fidesque tenax, et robur amoris  
 8 non nisi siderei mittitur arce patris.  
 9 Nemo suis fretus virtutibus aethera speret  
 10 scandere, divini est muneris esse pium.

## REVERENDISSIMO DOMINO FRANCISCO SODERINO, CARDINALI VOLATERRANO

C\_173 v.1 Nuper in Elysiis animam dum quaero Solonis,  
 2 jam rediit vitam rursus in aetheream.  
 3 Maia natus ait, quod si vis nosse Solonem,  
 4 ora Soderini cerne verenda patris.

## REVERENDISSIMO DOMINO ANTONIO, CARDINALI DE MONTE

C\_174 v.1 Tydides Ithaco quod erat, quod Nestor Atridae,

2           hoc tibi dum vixit Julius ipse fuit.  
 3       Te sine nil validis tentavit Julius armis,  
 4           Te sine nil placida contulit ille toga.

REVERENDISSIMO DOMINO IOANNI DE PICOLOMINIBUS, CARDINALI SENENSI

C\_175   v.1       Quod si Pontificum generosa e stirpe duorum ;  
           2           (stemmata nam tecum jungit uterque Pius)  
           3       hoc fatale tenes ; nam fato nascitur iste  
           4           villicus ; hic cerdo ; regius ille puer.  
           5       At quod Pontificum sic aequae acta duorum,  
           6           clavibus ut demptis cetera sint paria,  
           7       hoc virtutis opus ; sed cum te moribus aequet  
           8           Pontificum virtus, aequet et in solio.

REVERENDISSIMO DOMINO POMPEIO, CARDINALI DE COLUMNA

C\_176   v.1       Armorum, fundique potens dea Pallas in unum  
           2           te simul effudit Numen utrumque suum.  
           3       Et qua saevorum domuit fera corda Gigantum,  
           4           Aegida pro clypeo donat habere tibi.  
           5       Et quo fulmineum reficit post bella parentem,  
           6           hoc dedit eloquio te quoque posse frui.

REVERENDISSIMO DOMINO LAURENTIO, CARDINALI CAMPEGIO

C\_177   v.1       O decus, o verax patriae virtutis imago,  
           2           quam bene de Lauri nomine nomen habes,  
           3       vilescunt lauri, ni spiret Apollinis aura,  
           4           quas prius in Daphne foverat ille sua.  
           5       Te sine clavigeri sic Regia Principis aula  
           6           languet, et afflatu statque vigetque tuo.

REVERENDISSIMO DOMINO THOMAE, CARDINALI S. SIXTI

C\_178   v.1       Si Samii sunt vera senis documenta, renasci  
           2           si datur, atque animas corpus adire aliud,  
           3       in te migravit, sed Numine plenus, Aquinas,  
           4           sicque eadem mens est, ut tibi nomen idem.

REVERENDISSIMO DOMINO AEGIDIO, CARDINALI S. MATTHAEI

C\_179   v.1       Sanguinea fatale geras quod ab Aegide nomen,  
           2           non necis indicium, sed pietatis habes.  
           3       Aegide Gorgoneos ut Perseus extulit angues ;  
           4           utque sua Pallas Aegide monstra necat ;

5 sic tu, sidereas fas est cui scandere sedes,  
 6 noscereque aeterni mystica sacra Dei,  
 7 doctrinae clypeo, velut Aegide, pectora saeptus,  
 8 horrida quod pellas schismata, nomen habes.  
 9 Ingenio nam saepe tuo victoria parta est ;  
 10 ille truci gereret cum fera bella manu.  
 11 Cumque triumphatas sua sub juga mitteret urbes,  
 12 parceret ut victis gentibus, auctor eras.  
 13 Laus habet aequa duos, tamen est me iudice majus :  
 14 hostes ingenio, quam superare manu.

REVERENDISSIMO DOMINO ALEXANDRO, CARDINALI FARNESIO

C\_180 v.1 Cum primum liquidas peperit te mater in auras,  
 2 risit in Elysiis taetricus ille Cato.  
 3 Atque umbris causam quaerentibus impia dixit :  
 4 "Effugi, postquam Caesaris arma feri ;  
 5 excessit Latio vitae censura severae.  
 6 Nemo meis aptus moribus inde fuit.  
 7 Sed modo Romuleo puer hic de sanguine cretus,  
 8 effinget veteres, ac revocabit avos.  
 9 Ille mihi morum fiet successor, et haeres,  
 10 ille meae specimen jam gravitatis erit."

REVERENDISSIMO DOMINO PETRO, CARDINALI ANCONITANO

C\_181 v.1 Petre, Therapnaeo nil concessure Lycurgo ;  
 2 gloria Cardinei Petre diserte chori !  
 3 Tu (quod paene negat stolidi mens inscia vulgi)  
 4 legibus eloquium posse coire doces.  
 5 Namque ita sacrarum numerosa volumina legum  
 6 pandis, ut Hyblaeo dulcius ore sones.  
 7 Hinc te purpurei moderantem jura senatus  
 8 cernimus, et dictis cedere cuncta tuis.  
 9 Ars omnis mutila est, nec habet, quo limine scandat,  
 10 ni sit fulta sacri viribus eloquii.

REVERENDISSIMO DOMINO LAURENTIO, CARDINALI SS. QUATUOR

C\_182 v.1 Tangitur ut numquam Parnassia fulmine laurus ;  
 2 ut semper virides explicat illa comas.  
 3 Sic tua, Laurenti, toto nitet aurea virtus  
 4 orbe ; nec insidias, nec timet arma Jovis.

REVERENDISSIMO DOMINO IULIO, CARDINALI MEDICEO

C\_183 v.1 Dum delapsa polo prudentia quaerit ubique,  
 2 quos adeat, nullum comperit esse suum.

3 At postquam in Tuscis Medicen perspexit Iulum,  
4 dux, ait, erranti Dux mihi solus eris.

## EIDEM

C\_184 v.1 Horrida ceu Pallas concussit in Aegide monstra,  
2 cujus ab insigni nomine nomen habes.  
3 Sic tu ter culta, triplici ceu fulmine, lingua,  
4 monstrosa infernis schismata mergis aquis.

## REVERENDISSIMO DOMINO ALEXANDRO, CARDINALI CAESARINO

C\_185 v.1 Caesaris agnomen merito tibi contigit uni ;  
2 Caesare nam magno vel meliora facis.  
3 Ille suis totum subjecit legibus orbem,  
4 calcasti pedibus tu scelus omne tuis.

## REVERENDISSIMO DOMINO IOANNI, CARDINALI DE SALVIATIS

C\_186 v.1 Quid potius de te mirer ? Viresne capacis  
2 ingenii ? Sanctas an pietatis opes ?  
3 In te mixta fluunt solidae constantia mentis,  
4 sinceraeque tenax religionis amor.  
5 Teque verecundo collecta modestia vultu,  
6 teque fides ornat, justitiaeque jubar.  
7 Tu triplicis Sophiae Divumque arcana revolvis,  
8 atque homini quidquid fas didicisse fuit.  
9 Te Charites, Musaeque fovent, tibi comminus artes  
10 datque suas Phoebus, datque Minerva suas.  
11 Laude sed humana est tollenda scientia ; virtus  
12 caelesti dignum te tua laude facit.

## ILLUSTRISSIMO DOMINO LUDOVICO A CORDUBA, DUCI SUESSAE

C\_187 v.1 Pugnaces inter quod sis tam clarus Iberos,  
2 fulget ab antiquis hic tibi splendor avis.  
3 Quod tibi sint validae specioso in corpore vires,  
4 naturae acceptum sideribusque refer.  
5 Pingua quod placida teneas Dux arva Suessae,  
6 praebuit hoc facili sors tibi larga manu.  
7 Quod tibi juncta toro formosa Elvira jugali,  
8 grande, sed aligeri munus amoris habes.  
9 At tibi quod sancti niteant sine crimine mores,  
10 et referas priscum religione Numam,  
11 non haec fortunae, non haec sunt munera fati,  
12 sed tua, laus omnis haec tribuenda tibi est.  
13 Nostra animi est virtus, nostra est pietasque fidesque,  
14 cetera sub regno sunt Dea caeca tuo.

## REVERENDISSIMO DOMINO IOANNI RUFO, ARCHIPRAESULI CONSENTINO

C\_188 v.1 Ut cum saevit hiems, turget mare, solus ab alto  
 2 Castor agit dubias per freta caeca rates.  
 3 Romuleas inter sic, Consentine, procellas,  
 4 solus ades lacerae Stella secunda ratis.

## EIDEM

C\_189 v.1 Quae placidos fontes visa est sulcare carina,  
 2 heu mihi quam vasto fluctuat illa salo.  
 3 Hanc miser ingressus, rapido ne subruar aestu,  
 4 Consentine, bonis tu facis alitibus.  
 5 Tu Glaucus, Phorcusque mihi, tu sidera Ledae  
 6 tuque Helice, votis tu Cynosura meis.  
 7 Te duce non Lybicas Syrtes, rabiemve Maleae,  
 8 nec metuum Siculi monstra profunda maris.  
 9 Quem regit in fluctu tutela potentis amici,  
 10 semper inoffensa navigat ille rate.

## REVERENDISSIMO DOMINO CHRISTOPHORO MARCELLO, ARCHIEPISCOPO CORCYRAE

C\_190 v.1 Inter tot scelerum facies, totque impia monstra,  
 2 monstra, quibus Stygiis praecipitatur aquis,  
 3 tu caeli reseras aditus, et fata recludis,  
 4 Davidicaque canis mystica sacra lyra.  
 5 Tu rerum causas celso deducis Olympo,  
 6 factaque de nihilo semina prima doces.  
 7 Et tibi fas, puro radiatam lumine mentem  
 8 altius humanis exseruisse malis.  
 9 Scilicet ut numquam caeno corrumpitur aurum,  
 10 nec Phoebi radios inficit atra dies ;  
 11 sic tenebras inter, et nubila noctis opacae  
 12 nil in se virtus, quo violetur, habet.

## REVERENDISSIMO DOMINO IOANNI HISPANO, EPISCOPO CONCHIO

C\_191 v.1 Phoebus in Aeneadum colles migraverat olim,  
 2 attuleratque artes Graecia docta tuas.  
 3 Sed Gothus, atque Scythae, junctique ambobus Alani,  
 4 postquam Roma tuum comminuere decus,  
 5 barbariem fugiens peregrinum cessit in orbem,  
 6 qua fluit irriguis Baetis amoenus aquis.  
 7 Quid non fata rotant ? Reduces Jacobe Camenae  
 8 antiquos repetunt te remeante lares.  
 9 Jam citharae, cantusque vigent, jam florida laurus,  
 10 oraque grandiloquo plena Marone sonant.



## AD ADRIANUM VI. PONT. MAX

C\_192 v.1 Hostis adest duplex, gemini nova causa triumphi,  
 2 et figenda tuo bina tropaea tholo.  
 3 In te Schismaticus funestas excitat artes,  
 4 in te Turca ferox bella cruenta movet.  
 5 Ambo ardent fidei lumen delere ; sed alter  
 6 clam ruit in facinus, alter in arma palam.  
 7 Hic gladios vibrat, taetrum vomit ille venenum,  
 8 viribus hic major, fraudibus ille prior.  
 9 Dignus uterque premi ; sed longe invisior ille est,  
 10 qui sub ovis specie pectora vulpis habet.

DE RELIGIOSISSIMO AC ERUDITISSIMO OPERE EXSTIRPANDIS HAERESIBUS  
 NUPER RENOVATIS ADMODUM SALUTARIA PONT. MAX. ADRIANO VI. CONFECTO,  
 AD REVERENDISSIMUM D. IOANNEM RUFUM, ARCHIPRAESULEM CONSENTINUM. CARMEN

C\_193 v.1 O cui siderei commissa est Principis aula,  
 2 Consentine sacri gloria rara Chori !  
 3 Tollere vipereo seu schismata tincta veneno,  
 4 seu cupis aeternae pandere legis iter.  
 5 Perlege adoptivi modo quae pater optimus orbis  
 6 edidit, arcanis mystica scripta notis.  
 7 Tempora cui triplici fulgent redimita tiara,  
 8 imperioque refert aurea saecula suo,  
 9 hic docet, ut veterum contagia prima parentum  
 10 solveret, ex alto desiluisse Deum.  
 11 Ut latet intacta natus de virgine Christus,  
 12 sub Cereris specie, sub specieque meri.  
 13 Utque hominum nulli, sacro nisi fonte renatis,  
 14 astriferae pateat lactea Zona viae.  
 15 Utque salutiferae post prima piacula lymphae  
 16 Chrismate firmetur caelitus aucta fides.  
 17 Hic reduces animas concreta labe nocentes  
 18 expiat, atque alio diluit orbe nefas.  
 19 Confessosque docet certam sperare salutem,  
 20 sit modo sincero corde petita salus.  
 21 Nulla maritales divortia solvere taedas,  
 22 ut numquam a mixto corpore Christus abest.  
 23 Utque sacerdotum puro sacrata liquore  
 24 dextra levet sontes, concilietque Deo.  
 25 Cumque nihil medica prodest Podalirius arte,  
 26 unguinis extremi sentiat aeger opem.  
 27 Sanctorum generosa cohors ut Numinis iram  
 28 leniat, utque homini militet ipse polus.  
 29 Pontifici ut summo sit credita clavis Olympo,  
 30 qua patulas claudit, qua reseratque fores.  
 31 Thesaurusque aperit sacrata sede reclusos,  
 32 hinc venia est miseris indubitata reis.  
 33 Ut ventura dies, totum quae subruat orbem,  
 34 exitium terris cum dabit ignis edax.

35 Cumque renascentes induti corporis artus,  
 36 quidque feret meritis praemia digna suis.  
 37 Non haec Palladiis Academia novit Athenis ;  
 38 sed quibus est pura mens radiata fide.  
 39 Ut Deus excedit naturae jura potentis,  
 40 expendi humana sic ratione nequit.

REVERENDO DOMINO VIANESIO ALBERGATO, PROTONOTARIO APOSTOLICO

C\_194 v.1 Si quis erit blandos inter numerandus olores,  
 2 si quis Arioniae captus amore lyrae ;  
 3 si quis Aristarcho, qui naribus aemulus uncis,  
 4 separet Hyblaeis toxica mista favis ;  
 5 si quis erit fraudi, qui noxia corda perosus,  
 6 jungat Orestea pectora cara fide ;  
 7 si quis erit, placidas fando qui mulceat aures,  
 8 seria sive velit, sive jocosa loqui ;  
 9 si quis mente sagax, studio vigil, ore politus ;  
 10 dispeream, si non hic Vianesus erit.

F. MINITIO CALVO, ROMANAE ACADEMIAE CULTORI

C\_195 v.1 Tot tibi Balbus agit grates, quod Creta racemos ;  
 2 quot Calaber spicas, quot gerit Hybla favos.  
 3 Tu mihi Romulidum praesentia numina vatium  
 4 jungis, et in medio das Helicone locum.  
 5 Voti haec summa mei, senium traducere Musis,  
 6 linquereque infelix ambitionis iter.  
 7 Et quot habet sacros Academia vestra poetas,  
 8 qua dabitur, studiis conciliare meis.  
 9 Regum sollicita quicumque senescit in aula,  
 10 aut furit, aut ultro postulat esse miser.

AD QUENDAM

C\_196 v.1 Dum te parva ratis, dum te levis aura ferebat,  
 2 et bonus, et placido pectore mitis eras.  
 3 Nunc, ubi rostrata veheris super aequora puppe,  
 4 turbida ventosus pectora fastus agit.  
 5 Pendula mens hominum, rebusque elata secundis  
 6 fallitur, et vana credulitate tumet.

AD MARIANUM

C\_197 v.1 Quid vultu, Mariane, truci, quid fronte severa  
 2 turges ? Quid tanto pondere membra quatis ?  
 3 Subter anhelat humus, vastoque oppressa laborat  
 4 pondere, quod renuat ferre rogatus Atlas.

5 Sit licet Aoniae decus immortale cohortis,  
 6 teque colat flexo tota caterva genu ;  
 7 fastidire tamen noli, Mariane, minores ;  
 8 instabilis metuas sed leve sortis iter.

AD GUIDONEM DE RUPEFORTI

C\_198 v.1 Quod tibi centenis renovantur rura juvencis,  
 2 quodque tuum a prisco stemma refulget avo,  
 3 quod domus Attalicis tibi splendeat aemula gazis,  
 4 non tu, Fortunae sed veneranda rota est.  
 5 Quod tibi sint mores omni probitate verendi ;  
 6 quod superest priscum religione Numam ;  
 7 non haec fortunae, non haec sunt munera Fati,  
 8 sed tua sunt : omnis laus tribuenda tibi.  
 9 Nostra animi virtus, nostra est probitasque fidesque ;  
 10 cetera sub regno sunt, Dea caeca, tuo.

AD GUIDONEM

C\_199 v.1 Misisti nobis et poma, et carmina, vates,  
 2 indelibatae pignus amicitiae.  
 3 Carmina sic animum pascunt, ut poma palatum ;  
 4 illa lepore juvant ; ista sapore placent.  
 5 Poma aurum vincunt, vincunt et carmina gemmas ;  
 6 aurum da, et gemmas ; deteriora dabis.  
 7 Poma nec Alcinous misisset talia nobis,  
 8 carmina nec Clarius tam bene culta Deus.

AD GALLIARUM REGEM FRANCISCUM I.  
 DE VENERE IPSI DONATA AB EQ. REUZIO

C\_200 v.1 Quae donata tibi Venus est, Francisce, volebat  
 2 illa loqui tecum ; posse loqui ars dederat.  
 3 Sed cum praeventis, mille admirata loquendi  
 4 esse tibi Veneres, muta repente fuit.

DE EADEM

C\_201 v.1 Quid sistis celeres gradus ? Quid aures  
 2 ad vocem adrigis ; heu viator ! Haec est  
 3 fandi nescia ; quippe sculpta Cypris,  
 4 abi, quo properas, abi viator.

## AD MARIANUM

C\_202 v.1 Tune sacros audes infensa voce poetas  
 2 spernere, Pierio non bene grate choro.  
 3 Saxa ferasque truces cantu Rhodopeius Orpheus,  
 4 et potuit Stygium perdomuisse canem.  
 5 Captus Arioniae Delphin dulcedine vocis,  
 6 illaesum placido tergore vexit onus.  
 7 Mellifluo Tyrios Amphion carmine montes  
 8 transtulit, et lyrica moenia struxit ope.  
 9 At tu si pergis vates contemnere, dicam :  
 10 durior es saxis, durior esque feris.

## DE LEGIBUS HUNGARIAE

C\_203 v.1 Inclyta, quae Scythicis gens prodiit Hungara terris,  
 2 nil nisi sanguinei Martis amabat opus.  
 3 Clara quidem bello, partisque decora triumphis ;  
 4 sed non pacificae conscia legis erat.  
 5 Non fora legitimis resonabant sparsa tabellis,  
 6 nullaque conscripti regula juris erat.  
 7 Jus dubiae pendens, incertaque alea litis,  
 8 sparsaque clamoso jurgia vana foro.  
 9 Inde (nefas) patriis ejectus sedibus haeres  
 10 haesit, et alterius sustulit alter opes ;  
 11 inque pari causa lata est sententia dispar,  
 12 et modo qui victor, mox fuit ille reus.  
 13 At Stephanus veterum laudes egressus avorum,  
 14 attulit optatam providus auctor opem,  
 15 qui nunc Pannoniae praescribit jura feroci,  
 16 armaque fulta sacris legibus esse jubet.  
 17 Ille aperit regni triplici decreta libello,  
 18 et notat ambiguo jura tenenda foro.  
 19 Atque docet mores, longo servavit ab aevo  
 20 quos Scytha, Caesareis legibus esse pares.  
 21 Et quae vix poterant numero codice claudi,  
 22 sedulus in paucas digerit ipse notas.  
 23 Actio certa patet, certa est praescriptio rerum,  
 24 et contestatae formula litis adest.  
 25 Quisque suum nocens alieno limite cedit  
 26 sponte, nec infirmus praeda potentis erit.  
 27 Jusque, piumque colent placida sub lege quieti ;  
 28 sorte pari causas Croesus, et Irus agent.  
 29 Macte animi, qui tanta tuis dare commoda nosti  
 30 gentibus, insignis fama futura tua est.  
 31 Ut Cretae Minoa colunt, Argique Phoroneum,  
 32 legifer et Spartae templa Lycurgus habet ;  
 33 utque Solone suo dociles laetantur Athenae ;  
 34 sic laudes referet Pannonis ora tuas.  
 35 Major erit, sacris qui moenia legibus armat,  
 36 quam qui belligerae congerit artis opes.  
 37 Nam licet arma vacent, solidi stat gloria juris ;  
 38 at sine jure parum Martia bella juvant.

## AD CAROLUM DE SCHISMATICIS HUNGARIAE

C\_204 v.1 Carole, qui nulli veterum concedis avorum,  
 2 quo nihil in toto clarius orbe nitet,  
 3 solve serenato Lutheria nubila vultu,  
 4 schismaque temporibus sit procul omne tuis.  
 5 Et mala, si qua latent, si quis obrepserit error,  
 6 excidat, ut pura stet pietate fides.  
 7 Nonne satis saevit Mahometae secta nefandi,  
 8 nonne satis Scythico Tartarus ore nocens.  
 9 Hoc deerat scelerum, sua per praecordia virus  
 10 spargere, et in proprium vertere tela caput.  
 11 Quo rapitur miserum per inania dogmata vulgus,  
 12 quis causas tantae seditionis alit ?  
 13 Tu, cui summus apex, rerum cui summa potestas,  
 14 erue nascentis semina prima mali.  
 15 Flamma recens tenui perfusa liquore quiescit ;  
 16 si cesses, nulla vincitur ignis ope.

## DE SCHISMATICIS IN HUNGARIA

C\_205 v.1 Hostis adest duplex, gemini tibi causa triumphi,  
 2 et figenda tuo bina tropaea tholo.  
 3 In te Schismaticus, funestas excitat artes,  
 4 in te Turca ferox bella cruenta movet.  
 5 Hic gladios vibrat, taetrum vomit ille venenum,  
 6 viribus hic major, fraudibus ille prior.  
 7 Ambo ardent fidei lumen delere : sed alter  
 8 clam ruit in facinus ; alter in arma palam.  
 9 Dignus uterque premi ; tamen hostis atrocior ille est.  
 10 Qui sub ovis specie pectora vulpis habet.

## INSCRIPTIO IN LOCO JUDICII SUMMI

C\_206 v.1 Praemia ne justo desint, ne poena nocenti,  
 2 conditus hic legum est justitiaeque locus.  
 3 Rex Uladislavus patriae flectebat habenas,  
 4 nobile quo fieri hoc tempore jussit opus.

SIMONI DE UNGERSPACH, REGIO THESAURARIO GENERALI, ET GEORGIO RATALLER,  
 REGIO SENATORI

C\_207 v.1 Aurum cuncta movet ; Superi flectuntur ab auro,  
 2 gaudet et aurato Jupiter ipse dolo.  
 3 Tempa micant auro, radiatque altaribus aurum,  
 4 auro certa fides, perpetuumque decus.  
 5 Aurum pace juvat, nec bello spernitur aurum,  
 6 aurum pugnaces mittit in arma viros.

7 Auro Romulei redimunt capitolia patres ;  
 8 auro victa parent sidera, terra, fretum.  
 9 Numina quid colimus ? Procul o cum Pallade Juno,  
 10 Mars procul, et nitida casta Diana coma,  
 11 sola habites omni divina pecunia templo,  
 12 et cadat ante tuos victima larga focos.  
 13 Aurum quisquis habet, Superos mercatur et astra,  
 14 captivosque tenet sub ditione Deos.

## IN BALBUM

C\_208 v.1 Balbus amat patriam, quare ? Quia munera quaerit ?  
 2 Certe animo multo plus amat Italiam.

## HIERONYMUS BALBUS ILL. D. DE BOH. HASIST. ET I. SSLECHTA

C\_209 v.1 Terra Boema fero quondam metuenda Gradivo,  
 2 nunc alit Aonios, pace juvante, viros.  
 3 Testis erit nulli cedens Bohuslaus avorum,  
 4 Bohuslaus Clariae gloria prima lyrae.  
 5 Testis et eloquii qui flumina larga politi  
 6 spargis, Orestaea Sslechta colende fide.  
 7 Clarior ipse foro es, Parnasso acceptior ille,  
 8 ille Marone placet, tu Cicerone tonas.  
 9 Ille sacros vates, et amicas vatibus umbras,  
 10 apricique colit jugera pauca soli.  
 11 Fulmine tu linguae regales concutis arces,  
 12 mellifluoque domas ferrea corda sono.  
 13 Fortunati ambo, memori quos proferet aevo  
 14 fama volans, nullo deperitura die.  
 15 In vos tela licet jaculetur livor iniquus,  
 16 major ab hostili vulnere surget honos.  
 17 Scilicet ut liquidis oleum supereminet undis :  
 18 sic premit ignavum turba diserta pecus.

## HIERONYMI BALBI EPIGRAMMA IN PRIMI IMPRESSORIS COMMENDATIONEM

C\_210 v.1 Tingere depositis chartas quicumque metallis  
 2 coepit, et insignes edidit aere notas,  
 3 Mercurio genitore satus, genitrice Minerva,  
 4 praeditus aetherae semine mentis erat ;  
 5 non illum Cereris, non illum cura Lyaei,  
 6 terrenae tenuit non opis ullus amor.  
 7 Copia librorum cupidis modo rara Latinis  
 8 cum foret, auspiciis illius ampla venit.  
 9 Improbus innumeris librarius arte talentis  
 10 quod dabat, exigua nunc stipe vendit opus.  
 11 Historiae venere Titi : se Plinius omni  
 12 gymnasio jactant Tullius atque Maro.  
 13 Nullum opus (o nostri felicem temporis artem)

14 celat in arcana Bibliotheca situ.  
 15 Quem modo Rex, quem vix Princeps modo rarus habebat,  
 16 quisque sibi librum pauper habere potest.  
 17 Postmodo qui fuerit grato si commodus usu,  
 18 has memor assiduis plausibus ede preces :  
 19 artificii semper faveant pia numina sancto,  
 20 utilis effluxit cujus ab aere liber.

AD HIERONYMUM BALBUM. ELEGIA

C\_211 v.1 Balbe Therapnaeo non concessure Lycurgo,  
 2 maxima Castalii gloria, Balbe, lacus,  
 3 quid tibi cum populo, gelidus quem circuit Albis,  
 4 et cum caeruleo quid tibi Danubio ?  
 5 Scilicet Etruscas valles, et Romula Tempe  
 6 deseris, et magnae litora Parthenopes,  
 7 Arctoasque hiemes, aeternaque frigora quaeris,  
 8 et juvat in nostra vivere barbaria.  
 9 Num tandem hic aliquis Musis accommodat aures,  
 10 plaudit et ingenio, carminibusque tuis ?  
 11 Sentit et aequantem violenta tonitrua linguam,  
 12 mirandum et Pyllo, Dulichioque sonum ?  
 13 Tolle Augustinum, Sslechtam, Sslechtaeque sodales  
 14 doctiloqui, et silvis, fluminibusque canes.  
 15 Pulsus ad extremos lacrimosa voce Tomitas,  
 16 exilium deflet Naso Poeta suum.  
 17 Tu loca sponte colis Dircaeae ignara cohortis,  
 18 atque Tomitano barbariora solo.  
 19 An veluti Niobes conjunx, et Thracius Orpheus  
 20 mulcebis fidibus saxa, ferasque tuis ?  
 21 Durius at saxis nostrum est genus, ipsaque semper  
 22 Phoebeam impediet Martia turba Lyram.  
 23 Nam quamquam potuit mores, et corda ferocis  
 24 Italiae Samius composuisse senex,  
 25 attamen e doctis rediens Anacharsis Athenis  
 26 non potuit Scythicam flectere duritiem.  
 27 An quia continuo lapides tenuantur ab usu,  
 28 continuoque perit vomer aduncus agro ;  
 29 sic tuus Albigenas auratos ore Medusae  
 30 molliet, in carnem restituetque labor ?  
 31 Id si praestiteris, pecudes volitasse putabo,  
 32 et credam lepori terga dedisse canem.  
 33 Ipse sub hoc certe caelo prognatus, et unda,  
 34 cui patriae toties immaduere manus,  
 35 arva Phalantei tecum peragrare Tarenti,  
 36 Hesperiae et malle moenia pulchra tuae.  
 37 Sed quare haec animum torquent praesagia, meque  
 38 venturis prohibent fidere temporibus ?  
 39 Si ratio potuit Libycos mutare leones,  
 40 indere et Hyrcanis vincula dura feris,  
 41 sanguine Cinyphii si Adamas mollescit ab hirci,  
 42 indomiti subeunt si juga panda boves,  
 43 et tua mutabit nostrum sapientia vulgus,  
 44 Parrhasio pellet barbariemque lare.

45       Quin etiam Aonium si falleret opinio vatem,  
 46            et tua vota Noti per freta vasta ferent.  
 47       Non tamen est animus rectis illudere coeptis,  
 48            aut tibi propterea dicere, Balbe, diem.  
 49       Sed veluti medicus, quamquam non profuit aegro,  
 50            solo conatu saepe placere solet ;  
 51       sic ego Balbaeum studium, curasque probabo,  
 52            quamquam a proposito destituere tuo.

## AD EUNDEM

C\_212    v.1       Impius esse tibi videor, nimiumque protervus,  
           2            audeo quod patriae carpere barbariem.  
           3       At mihi non auro, sed vita carior ipsa est  
           4            patria, nec Balbo sum pietate minor.  
           5       Interdum Medici sed ferro vulnera sanant,  
           6            praestat et aegroto succus amarus opem.  
           7       Nos etiam teneras mordaci radere vero  
           8            auriculas iusti credimus esse viri.  
           9       Nec sequimur Balbum, qui nummis retia tendit,  
 10            et ficto fictas jactat ab ore manus.

## DE BALBI CANONICATU. IOCUS

C\_213    v.1       Ecclesiae membrum est Balbus, gaudete Camenae,  
           2            Tartareum membrum scilicet ante fuit.  
           3       Censuit is nostras animas cum corpore solvi,  
           4            et nullum in caelo censuit esse Deum.  
           5       Dicitur et teneris maribus non parcere, pulchrae  
           6            praeferre et Nemesei Theodamantis Hylam.  
           7       Nunc quoque dum mores hominis vestigo prioris,  
           8            ne sanctam, vereor, rideat Ecclesiam.  
           9       Pelle sub hac agni vereor ne forte lucellum  
 10            hic subitus quaerat Religionis amor.  
 11       Vos Balbi ingenium deducite tramite recto,  
 12            Pierides, vitae conscia turba suae.

## ALIUS DE EODEM. IOCUS

C\_214    v.1       Si non concordat soboles Jessaea Thaliae,  
           2            si non Maeoniae cum Salomone fides,  
           3       si non Hippolytus custodi convenit horti,  
           4            Ecclesiae Balbus quomodo conveniet ?  
           5       Attulit is nobis Musas, legesque Lycurgi,  
           6            attulit Ausonium, Cecropiumque Sophos.  
           7       Afferat et si vis Pharios, Arabumque magistros,  
           8            tantum ne mores afferat ille suos.



## IN ZOILUM PRO BALBO

C\_215 v.1 Invide, doctiloquum laceras cur, Zoile, Balbum,  
 2 et tibi quid Phoebi tela cruenta moves !  
 3 Ecclesiae est Doctor Balbus, caedatur ad aras  
 4 victima, stent sacris pingua thura focus.  
 5 Primus ad Austriacae pulcherrima tecta Viennae  
 6 vexit Arioniae consona fila lyrae.  
 7 Primus et Ausonios, Latialia verba, lepores  
 8 intulit, et gemini ditia jura fori.  
 9 Aeacidae Chiron, docili fuit iste juventae  
 10 utilis eloquio fertilior parens.  
 11 Miles Apollineus fuerat ; sed amoena reliquit  
 12 flumina Musarum, scilicet astra petens.

## AD BALBUM

C\_216 v.1 Cultorem nemorum, cultorem dicis agrorum,  
 2 cultor sum nemorum, Balbe, sed haud scelerum.  
 3 Nec mirum est odisse nemus, cui, quidquid amici  
 4 donarunt homines, abstulerant nemora.

## IN EUNDEM

C\_217 v.1 Plinius Aonidum fontes, Phoebumque colebat,  
 2 setigero tamen is recte tetendit apro.  
 3 Quaeque colit nemorum latebras, cervosque fugaces  
 4 insequitur, Phoebi est casta Diana soror.

## AD EUNDEM

C\_218 v.1 Virgilius culicem, ranas celebravit Homerus,  
 2 ipse Bohuslaum, Balbe Poeta, canis,  
 3 nec tamen aut tumulus culicis, nec turba coaxans,  
 4 sed cum Virgilio nomen Homerus habet.  
 5 Balbus item, nobis mersis caligine, vivet,  
 6 doctrinaeque feret praemia digna suae.

## HIERONYMUS BALBUS, UTRIVSQUE IURIS DOCTOR

C\_219 v.1 Lux Clarii, splendorque chori, quem doctus alit grex ;  
 2 grex Dryadum te doctus alit, tu Castalius dux ;  
 3 dux Helicone rigas Istrum, jam bella fugit Thrax ;  
 4 Thrax vates, Dacusque colit, nec Sarmata jam trux,  
 5 trux rigor omnis abit, nunc passim blanda micat pax,  
 6 pax Mysis advecta tuis, te digna manet merx ;  
 7 merx decus aeternum tibi erit, dum fulva micat fax ;  
 8 fax Phoebi terris radians, dumque atra necis falx,

9 falx metet orbis opes, mundi tu semper eris lux.

HIER. BALBI AD LECTOREM. EPIGRAMMA

C\_220 v.1 Tamquam pauca forent volucris discrimina vitae,  
 2 en nova jam toto serpit in orbe lues.  
 3 Membra tument sanie, tumet atro pustula virus  
 4 foedaque tabescens ulcera corpus arant.  
 5 Sed bene quod Chiron nostroque Epidaurius aevo  
 6 attulit optatam Bartholomaeus opem.

MAGNIFICO DOCT. IO. FUXMANNO REGIO SENATORI HIERON. BALBUS

C\_221 v.1 Ecce diem niveo quem vellere Parca secundet,  
 2 signet ab albenti lacteo gemma nota.  
 3 Redditus Aoniis tandem Fuxmannius antris,  
 4 ore licet toto nunc Helicone frui.  
 5 Te cedente Themis jacuit : fuit arida laurus,  
 6 sordidus in pulla flevit Apollo toga.  
 7 Nullus honos Musis, nullum decus, omnia muta,  
 8 omnia flebilibus irrequieta sonis.  
 9 At jam plectra sonant, cantus viget, ardua laurus  
 10 floret, habet thyrsus Bacchus, Apollo lyram.  
 11 Ridet ager, vestitur humus dant sidera plausum,  
 12 aspectuque facis cuncta serena tuo.  
 13 Hac quoque Pieria passim vox personat aula :  
 14 Fuxmanni, Vatum spesque decusque veni !

REVEREND. D. IO. VESPRIN. ET VIENN. EPISCOPO SAPIENTISSIMO H. B

C\_222 v.1 Disce, meis semper Praesul cantande libellis,  
 2 unde trahat primum mitrea turba genus.  
 3 Turribus innumeris Babylon porrecta sub orbe  
 4 Assyrio belli tristia damna tulit.  
 5 Hanc ut Alexander domito prostravit Eoo,  
 6 accelerant profugi per loca tuta fugam.  
 7 Et petiere poli glacialia signa Borei,  
 8 qua nitet Austriaco pulchra Vienna solo.  
 9 Inde refert turrita cohors genus ; inde superbo  
 10 vertice adhuc patriae fert monumenta suae.

HIER. BALBUS FUXMANIO

C\_223 v.1 Si quis erit gemini dubiosa aenigmata juris  
 2 doctus veridico dissoluisse sono ;  
 3 si quis erit triplicis linguae scrutator et expers  
 4 desidiae ; claris sedulus haustor aquis ;  
 5 si quis erit pictor tabula qui ducere mundos

6           noscat, et exiguo ponere cuncta loco ;  
 7           si quis doctiloqui qui fulgura vincat Ulyssis  
 8           qui Menelaeo dulcius ore sonet ;  
 9           si quis erit morum et vitae candore probandus ;  
 10          dispeream si non hic Fusimannus erit.

HIER. BALBUS FUXMANIO, REG. SENAT

C\_224    v.1       Magnos magna decent ; a magno parva poposci,  
           2           ut reor, hinc voto est facta repulsa meo.  
           3           Parva tamen nobis praesta, majora petemus,  
           4           cum veniet nostrae mitior aura rati.  
           5           Balbus ego nulli mentis candore secundus  
           6           adversis video carbasa fracta notis.  
           7           Magnum animum fors dira premit, stultissimus ille,  
           8           qui supra vires corda superba gerit.

HIER. BALBUS EIDEM

C\_225    v.1       Fuxmani Latiae decus Thaliae,  
           2           et Pandioniae nitor Minervae,  
           3           doctos Aemilii legi libellos,  
           4           qui versus celebrat severiores  
           5           et Musas redolet Maronianas.  
           6           At nos perlepida procacitate  
           7           lascivos elegos, levesque Musas,  
           8           mollesque hendecasyllabos jocamur,  
           9           genus carminis imbecillioris.  
 10        10          At tu Pieriae sacer cohorti  
 11        11          o spes, o decus, o meum levamen,  
 12        12          dic mi Balbule non minus diserte.  
 13        13          Sed dulcis tamen et nimis protervus,  
 14        14          Cypris molleculos canas lepores,  
 15        15          et saevi rapidos amoris aestus.  
 16        16          Haec si dixeris ore non molesto,  
 17        17          mittam perspicuos jocis libellos.

ARGUMENTA IN LUCII ANNAEI SENECAE TRAGOEDIAS

IN HERCULEM FURENTEM

C\_226    v.1       Maximus Alcides Stygio remeabat ab orbe  
           2           victor, Tartareumque canem sub vincla trahebat ;  
           3           sed Juno irarum nondum, veterumque dolorum  
           4           immemor, anguiferam nigranti sede Megaeram  
           5           excitat, illa faces Phlegethontis ab amne petitas  
           6           corpus in Herculeum jacit, instillatque venenum.  
           7           Tum vero Alcides furiis accensus amaris  
           8           saevit inops animi, et geminos cum conjuge natos  
           9           (proh scelus) ante aras indigna morte peremit.

10 Ast ubi Gorgoneos male sana mente furores  
 11 expulit, et dirum novit mens conscia crimen,  
 12 ingemit, invisam cupiens abrumpere vitam.

## IN THYESTEM

13 Sedibus expulsus patriis, regnoque Thyestes,  
 14 dignas nefando pendebat crimine poenas.  
 15 Namque olim furiis, foedoque incensus amore  
 16 fraternalium invasit thalamum, et vetitos hymenaeos.  
 17 Necdum Atrei mens dira odiis expleta quierat,  
 18 saevit, et ingentes acuit dolor improbus iras,  
 19 accinctusque dolis fratrem remeare Mycenae  
 20 jussit, et in regno simulata pace locavit.  
 21 Proh scelus indignum? Parvos trucidare nepotes  
 22 sustinet, et patriis epulandos ponere mensis.  
 23 Ille amens mandit natorum dentibus artus,  
 24 immixtumque haurit cognato sanguine Bacchum.  
 25 Haec ne monstra pio spectaret lumine Phoebus,  
 26 adversos Graia deflexit ab urbe jugales.

## IN THEBAM

27 Hauserat obscuras damnata luce tenebras  
 28 Oedipodes, tristemque animam sub nocte premebant.  
 29 Natorum interea dominandi dira cupido  
 30 occupat haec mentes, Thebanaeque regna tueri  
 31 alternis statuunt vicibus, jamque annua jura  
 32 ille dabat populo, hic patriis semotus ab oris  
 33 Argolicas urbes, externaque tecta petebat.  
 34 Jam vagus exactum sol circumvolverat annum;  
 35 sceptrum exul repetit: negat ille excedere regno  
 36 perfidus; arma parant, tristi concurrere bello  
 37 praecipua ira jubet, cruor undique, et undique caedes  
 38 cernitur, hostilique exundant sanguine rupes.  
 39 Tandem gravigenum post funera longa, necesseque  
 40 mutua Thebani senserunt vulnera fratres.

## IN HIPPOLYTUM

41 Pirithoum Theseus Stygiam comitatus ad undam est,  
 42 Tartareo dominam cupiens abducere regno.  
 43 Concipit interea validas in pectore flammis  
 44 Phaedra furens vetito privigni, et carpitur igne.  
 45 Ille novercalem generosa mente furorem  
 46 sustinet, et tenerum servat sine labe pudorem.  
 47 Nusquam tuta homini probitas, heu crimine foedo  
 48 Thesidem insimulat fallaci corde noverca.  
 49 Hippolyte infelix saevo damnatus et acri  
 50 exilio, immeritas solvisti sanguine poenas.  
 51 Haec ubi rescivit, stimulis accensa profanis,  
 52 Phaedra suum vertit polluta in pectora ferrum.

## IN OEDIPUM

53 Latus erat duri periturus vulnere nati,  
 54 ut fortes vatum, et Phoebi responsa canebant;  
 55 id metuens puerum primo de matre cadentem  
 56 damnat, et umbrosis jubet hunc exponere silvis.  
 57 Fata immota manent, Parcarum immobilis ordo est.

58 Infantem (ut perhibent) ad moenia celsa Corinthi  
 59 sors infensa tulit, regali et fide locavit.  
 60 Ille autem pergens scitatum oracula Phoebi,  
 61 unde genus ducat, quis primus sanguinis auctor.  
 62 Incidit in patrem, quem funere mersit acerbo  
 63 inscius, et Thebas violento Marte subegit.  
 64 Jungitur ecce nefas, thalamos namque ille parentis  
 65 invasit, proprios iterum revolutus in artus.  
 66 Haec ubi fatidici cecinerunt crimina vates :  
 67 hic latuit densis effosso lumine silvis ;  
 68 at genitrix tantos finivit morte dolores.

## IN TROADEN

69 Postquam Dardanium non aequo Numine regnum  
 70 evertere Dei, longisque oppressa ruinis  
 71 Troja, domus divum, tandem consedit in ignem ;  
 72 antiquam in patrias exoptatosque penates  
 73 Argolici remeare instructa classe parabant ;  
 74 cum subito horrisoni consurgunt undique fluctus,  
 75 saevit hiems, pelagi toto tonat aequore murmur.  
 76 Haec qui monstra ferant, rescivit ubi ordine Colchos,  
 77 edocet esse Deos humana caede piandos ;  
 78 mox deducta comis Priameia virgo solutis  
 79 abluit hostiles effuso sanguine manes.  
 80 Jungitur ecce scelus sceleri, gens impia Graium.  
 81 (O facinus) stantem vix primo in limine vitae  
 82 Hectoream sobolem turri dejecit ab alta ;  
 83 tunc Phrygiae tanto percussae crimine matres  
 84 collacrimant, longisque implent ululatus auras.

## IN MEDEAM

85 Jam manus Argivum surrepto vellere Colchos  
 86 tandem puppe nova dulces remearat ad Argos,  
 87 Medeamque tori sociam praeclarus Iason  
 88 junxerat, infaustis taedis atque omine laevo  
 89 ille etenim thalamos mutata mente priores  
 90 sprexit, formosae correptus amore Creusae.  
 91 At Medea ferox stimulis accensa profanis  
 92 ira ardet, magicasque amens decurrit ad artes.  
 93 Quid non herba potest ? Collapsa est ignibus atris  
 94 regia, cum miseroque exusta Creusa parente.  
 95 Nec satis est (pronus semper mulieris in iras  
 96 est animus, scelerisque capax segetisque malorum)  
 97 (proh pudor) illa suos miserando vulnere natos  
 98 opprimit, in partesque calentes dissecat artus.

## IN AGAMEMNONEM

99 Polluti dolor hospitii atque injuria raptae  
 100 Tyndaris in bellum geminos armarat Atridas,  
 101 collectaque manu Danaum maria alta secabant,  
 102 interea Aegisthi violento carpitur igni  
 103 saeva Clytemnestre, penitusque Agamemnona corde  
 104 expulit, et thalamos violavit iniqua jugales.  
 105 At postquam (Phrygibus crudeli Marte subactis)  
 106 Atrides primas victor remeavit in oras,  
 107 (o nulli sors fida diu) qui mille carinas

108 rexerat, atque Asiam decimo deleverat anno,  
 109 ante lares proprios exoptatosque penates  
 110 conjugis incestae manibus trucidatur, et atro  
 111 vulnere praecipitem fudit cum sanguine vitam.

IN OCTAVIAM

112 Impia sors vario versans mortalia cursu  
 113 (proh pudor) indignum ad fastigia celsa Neronem  
 114 vexerat, et rerum latas donarat habenas.  
 115 Huic sata Dardania generosa Octavia stirpe  
 116 juncta fuit, diris avibus thalamoque sinistro.  
 117 Ille etenim infami Poppaeae raptus amore  
 118 connubium antiquum sprexit, taedasque jugales ;  
 119 hoc facinus crebris soboles Romana querelis  
 120 increpat, infestaque Neronem voce lacessit.  
 121 (Heu nihil est saevi violentius aure tyranni)  
 122 ille ardet stimulis totusque immersus in iras  
 123 uxorem egregiam morti devovit acerbae.  
 124 Regius interea populo lugente satelles  
 125 immeritas justo sumit de sanguine poenas.  
 126 Tum vero exoritur questus, juvenumque senumque  
 127 ora madent lacrimis, totam dolor occupat urbem.

IN HERCULEM OETHEN

128 Magnanimum Alcidem, quocumque qui viribus orbem  
 129 presserat, unde dies terris flagrantibus ardet,  
 130 unde oritur Titan, unde aurea lumina condit,  
 131 et quo bruma rigens adstrinxit frigore Pontum,  
 132 hunc amor indomitis misit sua sub juga flammis.  
 133 Namque Iolen toto concepit pectore, solam  
 134 ille Iolen poscit Ioles, quoque nomine gaudet ;  
 135 at regina sui, (quis enim celavit amorem)  
 136 Dejanira novos praesensit conjugis ignes.  
 137 Fertur inops mentis rerumque ignara marito  
 138 infectam donat Nysaeo sanguine vestem.  
 139 Ille ubi funestos quaesitum munus in usus  
 140 induit, ecce fluit virus, totosque per artus  
 141 contrahitur macies serpitque per ossa venenum.  
 142 Vincitur Alcides, properatque abrumpere lucem,  
 143 insontique pyram pereundi certus in auras  
 144 extollit, flammisque rogos candescit anhelis.

CAROLUS FERNANDUS LECTOREM ALLOQUITUR

C\_227 v.1 Qui legis altiloqui veneranda poemata vatis,  
 2 Musa cothurnato cui dedit ore loqui !  
 3 Hactenus antiquo nimium spoliata nitore,  
 4 nunc tamen ad priscum visa rediisse jubar.  
 5 Te Balbi meminisse decet, qui codice multo  
 6 collato, haec tribuit munera tanta tibi ;  
 7 multaue Wolfgango debetur gratia, cujus  
 8 haec nitet artificii littera pressa manu.  
 9 Ite alacres igitur, paucis ne parcite nummis,  
 10 quando potest minimo maximus auctor emi.

AD DOCTISS. I. U. DOCTOR. VACIENSEMQUE PRAEPOSITUM D. HIERONYMUM BALBUM  
IOACHIMI VADIANI HELVETII. EPIGRAMMA

C\_228 v.1 Accipe Philosophi non trita volumina Magni,  
2 accipe non tritae pignus amicitiae.  
3 Quod Collimitii nuper vigilantia ab umbris  
4 cessit, et in liquidam protulit ora diem.  
5 Parvum hoc ; at certe non parvi est nominis auctor,  
6 quique dedit, multi nominis auctor erit.  
7 Accipies proprio conscripta volumina Marte,  
8 et meritum accrescet Balbe diserte decus.  
9 Tunc tua Nestoreas superabit gloria Brumas,  
10 Chalcidicamque decus tempore vincet anum.  
11 Tunc aliena tuis venient insignia libris,  
12 et gemino feriet Balbus honore polos.  
13 Quod mihi si vires Musae, si pulcher Apollo,  
14 praestiterint, nostro carmine Balbus erit,  
15 Balbus ab occasu fama memorandus ad ortum,  
16 quaque gelu sterili cessat uterque polus.

DE FUGA BALBI EX URBE PARISIA PUBLII FAUSTI ANDRELINI, FOROLIVIENSIS,  
CLARISSIMI POETAE LAUREATI AD LITTERATISSIMUM ROBERTUM GUAGUINUM,  
DIVI MATURINI PARISIENSIS MINISTRUM BENE MERENTEM. CARMEN

C\_229 v.1 Si vacat, o Praesul cunctarum maxime rerum !  
2 Haec lege bucolicis carmina lusa modis.  
3 Pinguia non modolor tundentes pascua tauros,  
4 nec petit acclives sima capella vias.  
5 Turpia sed refero scelerati crimina Balbi,  
6 dum fugit arsuras membra profana faces.  
7 Non hoc livor edax, non hoc discordia taetra,  
8 at bona legitimum causa laccessit opus.  
9 Scilicet ut notum toto sit crimen in orbe,  
10 et quae de nostro funere falsa vomit.  
11 Sit licet iste meo decoratus carmine vappa,  
12 pro fuerit variis notus uterque modis.  
13 Ut sua denigrat vitiosus tempora Balbus,  
14 sic niveo illustris pectore Faustus adest.

ARGUMENTUM

15 Quid fugis o Gallas paedico Balbe favillas ?  
16 Gallia quod nequeat, flamma Britannia dabit.

LYCIDAS, ET MOPSUS INTERLOCUTORES

LYCIDAS

17 Vix fugat exoriens gelidas aurora tenebras,  
18 tu tamen irrigua meditans spatiaris in herba  
19 Mopse pruinoso nec lubrica terra liquore,  
20 sparsa nec impediunt canenti gramina rore.

MOPSUS

21 Nunc tua quae fuerint veri praesaga futuri

22 verba revolvebam, Lycida ! Quod praescius augur  
 23 Phoebeo quodcumque canas veracius ore.  
 24 En detecta patet nostrarum injuria rerum,  
 25 fatidico praedicta tibi mendacia tandem  
 26 caeca relucescunt ; justis manifesta dedere  
 27 signa Dei, cunctos soliti punire nocentes,  
 28 imaque scrutantes taciti penetralia cordis.

## LYCIDAS

29 Quis purum indigna candorem labe notavit  
 30 Mopse tuum ? Volitans quae murmure fama sinistro  
 31 heu te Parisiis combustum dixit in agris ?  
 32 Et sanctam sprevisse fidem, Christumque potentem ?

## MOPSUS

33 Balbica forte tuam levitas pervenit ad aurem,  
 34 lanigeras dum pascis oves, haedosque petulcos ;  
 35 nulla etenim silva est, nullum nemus, avia nulla,  
 36 nulla levem quae non exclament marmora Balbum ;  
 37 postquam furtivi celatos carminis usus  
 38 prodidit haec cornix alieno picta colore,  
 39 et falsa assumpsit Balbae cognomina gentis,  
 40 quem vendens minimo vilissima scruta triente  
 41 Accelina domus stabulo generavit olenti ;  
 42 turpior hic vivens, et crimine foedior omni  
 43 Parisios infecit agros ceu pessima messes  
 44 herba resurgentes ; ipso mirabile dictu  
 45 heu scelus admisit, noctem cum lusa per altam  
 46 alea cessarat ; varium spoliabat ovile,  
 47 et tacito praedam furto comedebat adeptam.  
 48 Altus inexpleto gurges dabat omnia ventri  
 49 luxuriosa suo ; plebeiae vilia mensae  
 50 pocula spernebat ; spumanti prodiga Baccho  
 51 cinnama commiscens, summaque voragine potans,  
 52 ebria nec certo ponens vestigia gressu,  
 53 sola resumebat pingui saginata popina.  
 54 Immemor ah nimium, priscique oblite veterni,  
 55 Balbe, tui ; quondam pedibus cum rura petisti  
 56 Gallica nudatis, laceroque obductus amictu  
 57 Euganeam fugiens Trojani Antenoris urbem,  
 58 exstructis ne justa rogis incendia ferres.  
 59 Ut fuerat satiata fames, et plena tuebant  
 60 corpora, proh superi ! Molles fodiebat ephebos  
 61 vulnere postico, tenti simul inguina drauci  
 62 podice laxato, fellantique ore subibat  
 63 prodigiosa jacens Veneris post furta nefandae.  
 64 Jam nitidae mediam lucis stertebat ad horam  
 65 cruda vomens, multo commixtaque frusta Lyaeo.  
 66 Majus et ille nefas, multoque urgentius addit.  
 67 Scilicet in sacro nullum libamine Christum,  
 68 et casu volvente refert, nulloque moveri  
 69 aeternos rectore polos, ipsasque suprema  
 70 casuras post fata animas, quin ore profano  
 71 heu nimis ignaro coepit suadere popello,  
 72 ducendam quovis genialem tempore vitam.  
 73 Hinc sanctas Veneres, devotaque sabbata ridens  
 74 polluit, et sumpta jejunia mystica carne,  
 75 et nullum intrabat fassurus crimina templum,



76 innumeris admissa modis, verique jacebat  
 77 religio neglecta Dei, cultusque superni.  
 78 Sic levitas innata ruit, sic pectore caeco  
 79 mens insana furit, stultique inscitia cordis  
 80 in damnum laqueata suum, casusque futuros.  
 81 Interea accenso missus censore satelles  
 82 hoc monstrum prensurus erat, populoque vidente  
 83 igniti plenis olei cocturus ahenis.  
 84 Sed volat admonitus celeri properantior Euro,  
 85 fertilis Oceanus qua rura Britannica ditat.  
 86 O foedam, turpemque fugam ; nam nocte silenti,  
 87 ah caecum ! Infelix servili indutus amictu  
 88 praecipitavit iter ; nummos cum veste latentes  
 89 interiore jacet, stricto quasi noxia ferro  
 90 viscera transfodiens ; quid agat mens conscia facti  
 91 non videt ulla mali ; tanta est caligo malorum.  
 92 Mendicum adjuvit decocta pecunia Balbum ;  
 93 insontis tamen ante mei mentita professus  
 94 crimina, curvato veniam tulit ore petitam,  
 95 ut semper divina pii vestigia Christi  
 96 sanctaque facta sequar : debet quaecumque remitti  
 97 ultori vindicta Deo. Quod Galla nequivit,  
 98 flamma Britanna dabit. Majori fenore dicunt  
 99 offensi dilata Dei tormenta venire.

## LYCIDAS

100 Cur non ista solo sentina voratur hiante ?  
 101 Cur pluvius non ignis adest ? Qui tanta cremaret  
 102 infandi portenta mali ? Ceu Gomorrha quondam,  
 103 et Sodoma exarsit caelestibus obruta flammis.

## MOPSUS

104 O quam perversa est Balbi natura profani,  
 105 quae melius reticenda fuit, quam pauca referre  
 106 sordentis delicta viri ; brevitate probantur  
 107 crimina, quae volitant cunctos dispersa per agros.  
 108 Nauseet ista licet scabies ; ulcus apertum,  
 109 et sanies monstrata juvat quocumque desertos,  
 110 et mala conficiunt cautos aliena notantes.  
 111 Si videat certo conjunctas foedere mentes,  
 112 concordisque animos, discordia seminat arma,  
 113 unanimi annexos ostro fractura gemellos.  
 114 Candidus en pastor, qui Gallica personat arva,  
 115 carmine concinno primis dilexit ab annis,  
 116 divinum Ambrosio sortitum nectare nomen,  
 117 et parilis crescebat amor, cum perfidus iste  
 118 fraudibus occultis vinctos dissolvit amantes.  
 119 Heu quam lingua nocet diro suffusa veneno,  
 120 et Stygiis imbuta malis ? Non ossea lingua est ;  
 121 omnia cum tristis sed dissipat ossa medullis ;  
 122 ast adamanteo religata est gratia nodo,  
 123 et solida duplicata fide, cum proditus auctor,  
 124 et committentis nota est fallacia linguae.  
 125 Hic gnavus quoscumque odit, rabidoque probatos  
 126 dente viros lacerat, morsuque cruentat acerbo.  
 127 Testis adest Corydon, teneros qui corrigit annos  
 128 arte Palaemonia ; testis Meliboeus, et Idas,  
 129 pectine vocali stupefacta arbusta trahentes.

130 Quos modo praesentes fictis laudavit amicos  
 131 uncibus, et dulci palpo cum melle perunxit.  
 132 Ipse venenati cauda serpentis acuta  
 133 pungit, et absentes aloe denigrat amaro.  
 134 Illius, o Lycida ! Factis caritura relatis  
 135 verba fluunt, veluti rivosa lympha lagena  
 136 deperitura fluit, semper torquetur opima,  
 137 vicini tellure sui redituque beato,  
 138 semper honesta fugit pathicis stipata cinaedis,  
 139 huic tantum caupona placet, talique diurni,  
 140 nocturnique simul, scelerisque inventor iniqui.  
 141 Ni fallor, radix tantorum incepta malorum  
 142 ventura non morte cadet, ceu quercus adulta,  
 143 diffundet vacuas ramalia longa per auras.

## LYCIDAS

144 Ista fit o potius valida ceu caesa bipenni,  
 145 seu rapidis exusta rogis, quod fronde nocenti  
 146 letiferum germen radix infecta remittat.  
 147 Numquam speratis commissa piacula poenis  
 148 perditus iste luet, genitus qui crimen ad ipsum,  
 149 ardet in omne scelus, laudemque ex crimine quaerit.  
 150 Improbata non umquam capitis delicta nefandi  
 151 impunita vigent ; sequitur sua poena nocentes  
 152 seu velox, seu tarda viros ; sed numine dextro  
 153 sedula proveniunt sinceræ munera vitae.  
 154 Jejunas pascamus oves, Christoque merenti  
 155 solvamus tenui modulatas carmine grates.

THRENI MAGISTRI NOSTRI IOANNIS ECKII. IN OBITU MARGARETHAE CONCUBINAE  
 SUAE, OMNIUM QUAE SUNT, QUAE FUERUNT, QUAE POST FUTURAE SUNT  
 FIDELISSIMAE, AUCTORE SIMONE LEMNIO

C\_230 v.1 Quod mare ? Qui pontus, quae flumina, quaeve paludes,  
 2 quae satis undarum nunc mihi stagna dabunt ?  
 3 Heu mihi ! Quid dicam ? Quae nunc exordia sumam ?  
 4 Flebilis heu maestos cogor inire modos.  
 5 Effusis lacrimis cuncti nunc flete Sophistae,  
 6 tundite luctifica pectora maesta manu.  
 7 Prolixas manibus duris evellite barbas ;  
 8 unguiculis frontem dilacerate feris.  
 9 Et vos o nostri una omnes lugete Magistri !  
 10 Implexas digitis dilaniate comas.  
 11 Vos quoque communi, Cives, concurrите fletu,  
 12 heu cito pullatis appropriate togis :  
 13 plangite luctu, inscindite vestem, rumpite corpus  
 14 nunc crudo scabras ungue notate genas.  
 15 Sacrifici, et Monachi nigris ululate cucullis,  
 16 ingentis luctus flebile tempus adest.  
 17 Vos etiam, o sanctae Moniales, atque Beguttae,  
 18 largius o lacrimis ora rigate piis.  
 19 Tu quoque servorum serve, o sanctissime Paule !  
 20 Plora cum membris omnibus ipse tuis.  
 21 Pone pedum auratum, triplicem cito pone Coronam,  
 22 et pro purpureo tegmine sume sagum ;

23 lamentare Pater, miseram effunde querelas,  
24 fle, luge, plora, collacrimare, geme ;  
25 ille tui Regni defensor maximus Hector,  
26 Eckius in maerore, inque dolore jacet.  
27 Aspice, dejectis ut eat miserandus ocellis,  
28 aspice, quas lachrimas fundat ab ore miser.  
29 Aspice, quam crebris tundat sua pectora palmis,  
30 ferreus es, si te non, pater, ista movent.  
31 Ille pius, castus, sanctus, purusque sacerdos  
32 Eckius in luctu, tristitiaque jacet.  
33 Strenuus heretici domitor tuus ille Lutheri  
34 singultu, assiduis torquet et ora plicis.  
35 Ulla nec admittit tristis solacia, tantum  
36 acceptum maesto pectore vulnus habet.  
37 Quae sit causa, rogas, quae tanta occasio luctus ?  
38 Non est de nihilo fletifer iste dolor.  
39 Nempe suae Margris, proh Caelum ! funera deflet,  
40 crudeles Divos, diraque fata vocans ;  
41 usque adeo quod eum orbarint meretrice pudica,  
42 qua nihil in toto castius orbe fuit.  
43 Eckius amissos meretricis luget amores,  
44 sacrificum licitas qui negat esse faces ?  
45 Eckius immundi deplorat funera scorti,  
46 quamvis vult caste vivere sacrificos.  
47 Impia sacrificae dicens connubia turbae  
48 Eckius en scorti sordida fata dolet.  
49 Quocum jam multos caelebs consueverat annos,  
50 quod coluit carae conjugis ille loco ?  
51 Margaretha fuit scortillum nomine dictum,  
52 famosas inter gloria prima lupas,  
53 omnes illecebras, omnes edocta per artes,  
54 pessima quas plane noscere scorta decet ;  
55 blanda viris, tremula figebat basia lingua,  
56 post etiam coitus oscula mille dabat.  
57 Plus septingentis quondam terebrata priapis,  
58 mota fuit lacrimis, mota fuit precibus.  
59 Saepe procos ultro cunctantes ipsa petivit,  
60 in Venerem flagrans, impatiensque morae.  
61 Anglipolitanos omnes complexa studentes,  
62 omnibus est leves vendere sueta nates.  
63 Omnes Bacclaurios, omnes perpessa Magistros,  
64 et calefactores est miserata nigros.  
65 Omnes Doctores, quorum noscebat honores,  
66 omnes scutones fovit amica sinu.  
67 Imperiosa, procax, vaga, mendax, perfida, fallax,  
68 et tractare procos qualibet arte potens.  
69 Litigiosa, minax, subito blandissima siren,  
70 et subito furiis par erat illa nigris.  
71 Eckius iratae non raro est verbera passus,  
72 heu, quoties miseri contudit ora viri !  
73 Ast et clementi fuerat quoque pectore ; nam qui  
74 pauper erat, gratis hic futuebat eam.  
75 Et, quae praecipua est virtus, pietatis amatrix,  
76 ipsa erat et sacrae Religionis amans.  
77 Nullos Nothardos, nullos quoque Bardocucillos,  
78 Nullos spernebat Religione sacros.

79 Haec Franciscanos portaverat, atque Minores,  
 80 nec Benedictinum respuit illa gregem.  
 81 Nec Bernardinum, quo non nervosior alter  
 82 est coetus, sicut dixerat illa mihi.  
 83 Sed neque sutores, ut erat demissa, refugit,  
 84 non nautas, quamvis barbara turba foret.  
 85 Nullos cerdones est dedignata maritos,  
 86 nullos mendicos, ulceribusque putres.  
 87 Ergo tot insignem virtutibus acer amicam  
 88 Eckius indignis fletque doletque modis.  
 89 Jure equidem, jure, et lacrimas, fortissime, justas  
 90 arbiter, o Ecki ! Quis neget esse tuas ?  
 91 Scis etenim quam te coluit, quam fovit amanter,  
 92 Quam tibi poscenti, gaudia mille dedit,  
 93 quas tibi blanditias dixit, quae basia fixit,  
 94 quam tibi sit cunctis morigerata modis.  
 95 Quis ferat indigne, si talia dixeris, Ecki !  
 96 Exprimit impatiens quae tibi verba dolor :  
 97 "Margaretha meae quondam dulcissima vitae  
 98 spes, decus, et nostrae firma columna domus,  
 99 tu mihi Sarranis pretiosior unio conchis,  
 100 tu semper fueras unica gemma mihi.  
 101 Nostrae deliciae periistis, nostra voluptas !  
 102 Mersisti Stygio flumine triste caput.  
 103 Heu, dic quo nostri, quaeso, tibi cura recessit ?  
 104 Cur tua non nobis ora videre datur ?  
 105 Invida ! cur tenerum sic mors decerpere florem ?  
 106 Cur adeo nitidam vellere es ausa rosam ?  
 107 Perfida ! Cur ita nos, o mors, disjungis amantes ?  
 108 O Caelum, o tellus, Jupiter, astra, mare !  
 109 Cur ultra vivam privatus compare tali ?  
 110 Qua sine lux mors est, et mihi dulce nihil.  
 111 Accipite o manes nunc me ! Juvat ire sub umbras,  
 112 o Pluto, et coram regna videre tua.  
 113 Tota lupanaris periit jam forma decoris,  
 114 aurea scortorum jamque corona jacet.  
 115 Quis nunc aegrotum, quis me curabit egentem !  
 116 Margaretha tuae nobile lumen opis !  
 117 Quis me vinosum ducet ? Quae vina vomentem  
 118 eriget, aut medio tollet amica luto ?  
 119 Heu quis mundabit, cum permerdavero lectum ?  
 120 Quis purgat soccos concaco quando meos ?  
 121 Quare saepe tibi, proh, multa negotia feci ?  
 122 Italico vino cum bene potus eram.  
 123 Quot crepitus ventris naso patiente tulisti !  
 124 Quot rictus imo ex pectore, quamque graves !  
 125 Hoc quotiens animo mecum repeto, atque recordor,  
 126 labitur ex oculis plurima gutta meis.  
 127 Quamvis haec, dicas, feci ! Nec copia porro est,  
 128 pluraque dilectae tristia damna fleas :  
 129 Nemo tuos, Ecki, poterit reprehendere luctus,  
 130 nemo tuos gemitus increpitare queat.  
 131 Vere amisisti scortum haud vulgare, penates  
 132 quod valde decuit, docte Sophista, tuos.  
 133 Sed tamen esse modum miseris debere querelis,  
 134 nosti vir sapiens, dogmata cuncta tenens.

135 Haud lacrimis illam nigro revocabis ab orco ;  
136 panditur ad nullas janua dura preces.  
137 Cur igitur pergis cineres turbare sepultae,  
138 et te nec quicquam sic macerare miser ?  
139 Pone modum lacrimis, quod idem vere jubet illa,  
140 languentemque animum spe meliore fove.  
141 Omnia propterea non sunt demortua scorta,  
142 plurima adhuc sunt, hanc quae superasse puta.  
143 E tanto numero poterit delectus haberi,  
144 et Margarethae par aliqua esse potest.  
145 Quin etiam clare Stygiis, nisi fallor, ab undis  
146 illa modo est ad te sic mihi visa loqui :  
147 "Quid juvat insano sic indulgere dolori ?  
148 O conjux ! non sunt haec sine facta Deo.  
149 Longius haud licuit sociam tibi me esse : negavit  
150 hoc mihi diva Venus, non satis aequa tibi.  
151 Longe alia haec tibi scorta dabit : tibi restat arandum  
152 antiquum corium, sic tua fata ferunt.  
153 Ad terram Hesperiam venies, ubi leno benigne  
154 plurimus ad nutum serviet usque tuum.  
155 Siste, precor, lacrimas, et inanes pelle querelas,  
156 non me defunctam Tartara nigra tenent.  
157 Elysias valles, et amoena vireta locorum  
158 passim cum turba laeta sodale colo.  
159 Diogenis Cynici meretrix effecta Sophistae  
160 quondam, nunc iterum sum data sponsa Sopho.  
161 Quocum, ubi tu venies, faciam divortia, nobis  
162 namque tuam praeter mentula nulla sapit.  
163 Sed quia saepe in nos injuriosus ipse fuisti  
164 scortator, multis foedus adulteriis ;  
165 haud mox accedes felicia prata piorum,  
166 ni prius a cuncta labe lavere probe.  
167 Instar Pythagorae in varias mutabere formas ;  
168 accipiet speciem bestia multa tuam.  
169 Si mihi fas esset fatorum arcana referre,  
170 quae te cumque manent, significare queam.  
171 Sed tamen ex multis haec pauca referre licebit.  
172 Fac sed in occulto tu tua fata premas.  
173 Principio propter vitiatae probra puellae  
174 in stabulo, curam dum gerit illa bovis,  
175 cum mihi bis quinos pro virginitate dedisti  
176 florenos, longo tempore taurus eris.  
177 Plutonis macras debes incendere vaccas ;  
178 Atque ibi te miserum cornua multa petent.  
179 Uxorem propter sartoris saepe fututam  
180 capra olida atque vetus est futuenda tibi.  
181 Propter discipuli stupratam saepe novercam,  
182 est tibi Tantaleae poena luenda sitis.  
183 Propter stupratas Moniales atque Beguttas,  
184 perpetua sacras Virginitate Deo,  
185 cogere umbrarum vastam purgare cloacam  
186 victurus foedo stercore more suis.  
187 Sed quod carnificis quoque contrectaveris Annam,  
188 quam propter tecum jurgia multa tuli,  
189 infelix annos pendebis in aere centum,  
190 et totidem lustris in cruce corvus eris.

191 Porro quod Oeconomi foedaveris, improbe, lectum ;  
 192 collegii soliti munia obire novi,  
 193 Sisyphium saxum per summa cacumina volves,  
 194 testibus amissis omnibus atque stylo.  
 195 Quod lanii ancillam compresseris, atque subulci,  
 196 in porcum verso scrofa tibi uxor erit.  
 197 Sed quod mendicam in sacra corruperis aede,  
 198 sex per Olympiadas sulphura taetra bibes.  
 199 At puer ille tibi quondam tumultatus in olla  
 200 innumeras poenas, spurce Sophista, dabit,  
 201 quas vero mater ? Prohibent sed cetera Parcae  
 202 auribus effari, chare marite, tuis.  
 203 Hoc tamen infelix miseros solabere casus,  
 204 quod tibi res laetas post mala fata dabunt.  
 205 Si Franciscana indutus tumulere cuculla,  
 206 ante sacro fassus cuncta piacla viro,  
 207 et te purgarit jam purgatorius ignis  
 208 ter centum lustris, queis recoquendus eris,  
 209 insuper et Latii larga indulgentia lustris  
 210 abluerit naevos de cute quosque tuos,  
 211 (quae tibi forti animo contra est defensa Lutherum,  
 212 qui Latias fraudes tendiculasque vocat) :  
 213 et fratrum exsequiae, lectaeque ex ordine Missae  
 214 eripient flammis cum tua membra nigris :  
 215 tunc, tunc Ausonius solito pro more sacerdos  
 216 canonisaturus te super alta feret,  
 217 divo Bennoni socium post festa colendum  
 218 Urbani, cujus est tibi plaga frequens.  
 219 Ergo tuos gemitus animo compesce, meoque  
 220 debita fer cineri dona suprema libens,  
 221 et tumulum facito, tumulo superaddite carmen,  
 222 nominis ut dicas haec monumenta mei :  
 223 Margaretha vaga meretrix notissima fama  
 224 Anglopolitanae maxima flamma scholae,  
 225 quam tenuit turpi subductam fornice nuptam  
 226 Eckius ille salax caelibe paene caper.  
 227 Hoc viridi castum contexit caespate corpus,  
 228 o scorta huc violas, huc date thura lupae !  
 229 Qui si morigerus mihi eris ; si feceris istud,  
 230 di tibi dent scorto nobiliore frui.  
 231 Hoc, Ecki, faciens monitus ne sperne salubres !  
 232 (Talia fatidico est ore locuta tibi)  
 233 quaere aliam thalami sociam, Dominamque cubilis,  
 234 in viduo noli sic recubare toro.  
 235 Ne nocturna tuum conturbent spectra soporem,  
 236 et moveant mentem somnia vana tuam.  
 237 Si premit Anglipolim talis penuria mercis,  
 238 nec meretrix oculis sufficit ulla tuis :  
 239 ocius ad Dresdam Doctori scribe Cochlaeo ;  
 240 nullus habet plures hoc modo leno lupas.  
 241 Hic tibi pro rapto scortorum plaustra remittet :  
 242 quippe tuam luget corde dolente vicem.  
 243 Illius est etiam scortator maximus urbis  
 244 Thomas, cui nomen parva myrica dedit,  
 245 scribe Ducis, tum Cancellarius ille Cochlaei,  
 246 hic te prae cunctis, crede, juvare potest.

247 Omnes novit enim meretrices, scorta lupoque,  
248 omnes lenones, omnia prostibula.  
249 Quod si Pannoniis magis delectabere cunnis,  
250 implorandus erit supplice voce Faber.  
251 Fabricat ex teneris hic semper scorta puellis,  
252 atque ex matronis fabricat ille lupo.  
253 Ille tibi ad nutum fabricabit nobile scortum ;  
254 mobilis at podex malleus ejus erit.  
255 Si bellum quaeris scortillum, hoc utere fabro ;  
256 bellus enim novit cudere bella faber.  
257 Jamque vale, et luctum ex animo maestum expue totum !  
258 Exhilarant mentem vina, Venusque tuam."